




PEZ, BERNHARD  
SINZENDORF, PHILIPP L. VON

# Bernardi Pezii Benedictini et Bibliothecarii Mellicensis De Etymo Nominis Habspurgici

Et Origine Domus Habspurgico-Austriacae  
Dd ... Philippum Ludovicum Comitem de  
Sinzendorf ... Epistola

apud Petr. Conrad Monath Monath, Peter  
Conrad  
1731

# books2ebooks – Millions of books just a mouse click away!



European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook. Pay online with a credit card of your choice and build up your personal digital library!

## What is an EOD eBook?

An EOD eBook is a digitised book delivered in the form of a PDF file. In the advanced version, the file contains the image of the scanned original book as well as the automatically recognised full text. Of course marks, notations and other notes in the margins present in the original volume will also appear in this file.

## How to order an EOD eBook?



Wherever you see this button, you can order eBooks directly from the online catalogue of a library. Just search the catalogue and select the book you need.

A user friendly interface will guide you through the ordering process. You will receive a confirmation e-mail and you will be able to track your order at your personal tracing site.

## How to buy an EOD eBook?

Once the book has been digitised and is ready for downloading you will have several payment options. The most convenient option is to use your credit card and pay via a secure transaction mode. After your payment has been received, you will be able to download the eBook.

# Standard EOD eBook – How to use

You receive one single file in the form of a PDF file. You can browse, print and build up your own collection in a convenient manner.

## Print

Print out the whole book or only some pages.

## Browse

Use the PDF reader and enjoy browsing and zooming with your standard day-to-day-software. There is no need to install other software.


## Build up your own collection

The whole book is comprised in one file. Take the book with you on your portable device and build up your personal digital library.

# Advanced EOD eBook - How to use

## Search & Find

Print out the whole book or only some pages.



With the in-built search feature of your PDF reader, you can browse the book for individual words or part of a word.

Use the binocular symbol in the toolbar or the keyboard shortcut (Ctrl+F) to search for a certain word. "Habsburg" is being searched for in this example. The finding is highlighted.

## **Copy & Paste Text**



Click on the “Select Tool” in the toolbar and select all the text you want to copy within the PDF file. Then open your word processor and paste the copied text there e.g. in Microsoft Word, click on the Edit menu or use the keyboard shortcut (Ctrl+V) in order to Paste the text into your document.

## **Copy & Paste Images**



If you want to copy and paste an image, use the “Snapshot Tool” from the toolbar menu and paste the picture into the designated programme (e.g. word processor or an image processing programme).

## **Terms and Conditions**

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions. EOD provides access to digitized documents strictly for personal, non-commercial purposes.

Terms and Conditions in English: <http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/en/agb.html>

Terms and Conditions in German: <http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/de/agb.html>

## **More eBooks**

More eBooks are available at <http://books2ebooks.eu>

Universitätsbibliothek Wien

I  
268.548

A

26. D.

BERNARDI PEZII

*Benedictini et Bibliothecarii Mellicensis.*

De

ETYMO  
NOMINIS HABSPURGICI,  
ET ORIGINE  
DOMUS HABSPURGICO-  
AUSTRIACAE

AD


*Illusterrimum et Excellentissimum*  
*D. D.*

PHILIPPUM LUDOVICUM  
Comitem de Sinzendorf &c. &c.

Augustissimi Imper.  
CAROLI VI.

Consilium Intimum, et Cancellarium Primarium &c,

EPISTOLA.



VIENNAE ET NORIMBERGAE,  
APUD PETR. CONRAD MONATH. MDCCXXXI.



UNIVERSITATIS  
BONENSIS  
1777

*Illustriſſime ac Excellentiſſime Domine  
Comes.*

**N**on indulges modò, sed cohortaris me etiam atque etiam, Excellentissime Comes, ut ea, quæ sub calcem *Epistolæ de Actis S. Trudpertii,* et annis *S. Ruperti,* primi Episcopi Salzburgenſis ad V. Cl. Admodum Reverendum Patrem Marcum Hanzizium S. J. nuper datæ, de Origine Augustæ Domus HABSPURGICO-AUSTRIACAE me scripturum promisi, in lucem proferam, atque cum erudito Orbe, id est, tecum, ut equidem ſentio, quām primūm communicem. Quod enim paulò gravioris politiorisque ſtudii genus demum eſt, quod ingenii iudiciique tui magnitudine ac amplitudine complexus non ſis? Enimverò etsi probè noverim, quam eā pollicitatione mea apud te aleam iecerim: quia tamen fidem ſemel dare publicè ausus ſum, nec ea confidentia mea tibi improbata eſt, nunc animō, non tam me, quām te dignō, illam liberare aggrediar, eaque, quæ ſuper tantæ Stirpis Origine post editas a doctiſſimis Viris de eodem argumento integras ferè bibliothecas, et mihi, ut ut bardo ac indocto, vera viſa ſunt, ad te perſcribam.

Tuô demum caiculô statuetur, cui nostrûm rudis debeatur, et utrum hæc EPISTOLA nonnihil amplius veri ac solidi afferat, quâm longa et spissa vægrandium volumenum series ac strues hactenus attulerint.

Quædam saltem rariora et certiora, quæ huius controversiæ verticem ac summam propriùs attingunt, post donatum nobis tuâ munificentâ Erganbaldum, Sanct-Trudpertinum Abbatem, allaturum me ausim de plano promittere. Est enim illud munus tuum, haud dubiè cum multo Numine detectum, veteris Germanicae Historiæ fax quædam et Pharos, qua hucusque carentes cæterà eruditissimos etiam Viros non nisi in horridos scopulos et syrtes incidere necesse ac propè in fatis erat.

Porro quò promptior rerum sensus sit, Epistolam hanc in duas partes tribuam, in quarum priore genuinum, naturale ac verum Nominis HABSPURGICI etymon demonstrare: in altera, unde et ex qua origine Augusta Gens HABSPURGICO-AUSTRIACA prodierit, liquidò aprire conabor. Utrobique perdiligentem operam dabo, ut quæstiones istæ, per se perplexæ admodum, subtile ac pervexatæ, quâm brevissimè planissimeque hic explicentur.

# PARS I.

*Quodnam genuinum, naturale ac verum Nominis HABSPURGICI etymon sit.*

**Q**uicunque Nominis HABSPURGICI etymon aliunde, quām ex veteri Germanica lingua, quam Teutonicam seu Theodiscam dicimus, acciunt, infeliciter hariolari atque adeo ultra centesimum a vero lapidem mihi aberrare videntur. Vocabuli enim HABSPURG ossa ad unum omnia putam puram linguam Germanicam redolere ac spirare omnibus in confessō esse debet, quibus aures et oculi linguae Germanica sunt. Ut adeo satis stupere non possim somnium Wolfgangi Latzii, Viennensis Austriaci, Medici, et Invictissimi Rom. Regis Ferdinandi Historici, Viri maximæ lectionis, laboris infiniti, et quod in rem præsentem propius est, veteris Germanici idiomatis egregiè periti. Is, dum de HABSPURGI nomenclatura agit, ad AVENDUM, quoddam castrum, adversus Ideas Platonicas firmissimum, construit, indeque nomen HABSPURGICUM his verbis derivat: *Porro Opertus primus (ex Gente Habspurgica) in iugis Vosagi montis Romerico, vulgo Romersperg, AVENDUM castrum condidit, haud procul a thermis Plumariensibus, unde successores Comites ab AVENDSPERG denominati fuere.* Quæ vox posterius corruptè a Germanis pronuntiata fuit ABSPURG.

2. Latzium hoc nomine acriter objurgat Franciscus Guillimannus, et ipse Vir multijuga eruditione ac elegantia præditus, in Libris VII. quos de antiqua & vera origine Domus Austriae ad Cæs. Imp. Rudolphum II. sub nomine HABSPURGIACORUM perscripsit. In hoc Opere longè ad aliam metam dirigit Guillimannus, putatque HABSPURGUM ab HABENTIA seu peculio ac possessionibus ita nunquam cupatum. Postquam enim ad fidem Chronicorum Ebersheimensis et nescio quorum Annalium Elsatiae, Wernherum Epis-

De Migr.  
Gent. L.  
VIII. p.  
410.

scopum Argentoratensem ejusque fratrem Rathbotonem, ambos generis Habsburgensis, in conjurationem Gerhardi Lotharingiae Ducis adversus Henricum Pium Imp. nomen suum dedisse, licet subtimidè, nec satis certus, nar-

pag. 178. rasset, de causa simul et nomine castri HABSPURGENSIS & 185. sic differit, et unà novam procudere fabellam haudqua-  
edit. Ra- quam pensi habet: *Qui (de Wernhero Episc. Argentinensi-  
tisbon. an. ei sermo est) comperto a se Cæsaris animum alienatum, pes-  
1696. seque sede deturbari, opibus suis fratribusque firmandis ani-  
mum intenderit, plura Episcopatus beneficia, et, si que vacue  
erant, iis tradiderit arces, oppida, vicos, agros, jura, judicia.  
Rathboto quoque ingentem pecunie vim castro et munimento  
inexpugnabili, paterno in solo constituendo, cui HABESBURG  
esset nomen, quod eò HABENTIAM suam conferre destinaret  
- - - Collis suprà Altenburgum paullò erectior (Wildbesberg  
vulgò nominabant) ab Arula, propè ad Ursam, per passus cir-  
citer mille, clementi jugo, et ferme aquali, sese porrigebat.  
quà Arylum et Occidentem respicit, aliquantum sublimior.  
Eius collis verticem, quà maximè ab flumine attollitur, Rath-  
bodus capere constituit, ibique HABSBURGUM, fratri sui no-  
mine, powere rudi opere, sed ad vim impenetrabili.*

ib. pag.  
188.

3. Tum ad Latzium conversus, et suæ opinionis cer-  
tissimus Guillimannus: *hoc, inquit post nonnulla, HAB-  
SBURGI certum et principium primum. Et illud idem fortè  
est, quod Albertus Argentinensis voluit. Nam ejus Vernerum,  
Episcopum Argentinensem, conditorem auctoremque, ex ipsius  
mox testimonio ostendemus, ut nugas et deliramenta tandem  
relinquamus, qua Latzius, quaque alii super hac re prodidè-  
re, conditorem scilicet Rapatonem, nomen ab AVENDO, quod  
Ottobertus posuerit, aut ab AVENTINO Urbis monte, ñt Vo-  
laterannus et Arnoldus Vion, sumpsisse, qui AVENDUM aut  
AVENTINUM viderit nunquam, nec fortè audiverit, certè  
nunquam possederit.*

4. Porro *testimonium Verneris seu Wernheri Ep. Argentinensis*, ad quod Guillimannus provocat, continetur *instrumento fundationis Monasterii Murensis*, ex cuius tabulario primus id ad fidem autographi publicavit idem *Habsburgiacorum Auctor*, sed maiori deinde antiquitatis <sup>eu.</sup> p. 195. *ra* Dominicus Tschudius, eius loci Abbas longè doctissimus, in origine et *Genealogia Gloriosissimorum Comitum de Habsburg* P. 36. e-  
iterum edidit. *Integrum id et ego in Probationibus* \* dat. Wra-  
bo: nunc id tantum duntaxat delibabo, quantum huic loco <sup>tisl.</sup> <sup>\*Num.IV.</sup> commodum sit. Itaque in hoc instrumento seu testamen-  
to *V Vernherus Strasburgensis Episcopus et Castri*, quod dici-  
tur **HABESBURCH**, fundator, *Monasterium in patrimonio*  
*suo, in loco, qui Mure dicitur, in pago Argovia, in Comita-*  
*tu Rore, in honore sanctæ et individuæ Trinitatis, et sanctæ*  
*Dei Genitricis Mariae, omniumque Sanctorum construxisse, et*  
*titulō Beati Martini Episcopi in perpetuum dicasse se com-*  
*memorat.* Tum de Monasterii Murenis Advocatia sic  
decernit: *Ipse autem Abbas, communicato fratum consilio,*  
*Advocatum de mea posteritate, quæ prefato Castro HABES-*  
*BURCH, dominetur, qui maior natu fuerit, tali conditio-*  
*ne eligat, ut si quas oppressiones intolerabiles Monasterio in-*  
*tulerit, et inde secundò et tertio commonitus, incorrigibilis*  
*extiterit, eo abiecto, alias de eadem progenie, qui in eodem*  
*sit Castro HABESBURCH, sine contradictione subrogetur, hoc*  
*adiecto, ut si masculinus sexus in nostra generatione defece-*  
*rit, mulier eiusdem generis, quæ eidem Castro HABESBURCH*  
*hereditario iure præsideat, Advocatiam a manu Abbatis sus-*  
*cipiat: quam Advocatiam neque ab Rege, neque alia perso-*  
*na, nisi a solo Abate cuiquam suscipere liceat &c.* Anno  
ab incarnatione Domini millesimo vigesimo septimo, indictio-  
ne decima, regnante Conrado Imperatore Augusto scripta  
sunt hac.

5. Subdit ad recitata Guillimannus: *Atque hic, \*ut su-* \*p. 197.  
*prædiximus, HABESBURGI auctor, hac origo vera certaque: et*  
*dein-*

P. 71.  
 deinceps VINDONISSESES (qui) sese primò Comites aut ALTEBURGIENSES nominaverant, postremò omnes se HABSBURGIENSES dixerunt, HABSBURGENSIUMQUE inde et AUSTRIACORUM, toto Orbe fama et gloria. Quod Guillimannum rectè subnexuisse ait suprà laudatus Præfus Murensis Dominicus, et utrisque consentit Vir Illustris Georgius ab Ecclard in *Originum Habsburgo-Austriacarum Lib. I.* cap. 9. Duo igitur hic statuit Guillimannus. Primum est, nomen Gentis HABSPURGICÆ a castro Argoviæ HABESBURCH, ad initium seculi XI. a Wernhero Ep. et Rathbotone fratre constructo, certissimè derivatum esse. Alterum est, genuinum vocabuli HABESBURCH etymon accipendum esse a Latina voce HABENTIA seu possessiones, quas ut tutas haberent, an illud castrum intulerint fratres, Henrico Imp. suspecti.

Germ. Sac. et Prof. Part. III. p. 16. & seq.  
 6. Verùm Guillimanni sententiæ magnis clamoribus obviat Gabriel Bucelinus noster, Vir pietate juxta ac eruditis laboribus clarus, qui nomen HABSBURGICUM in monumentis, longè ante conditum in Argoia castrum HABSBURCH confectis, et vidisse se et legisse ac palpasse graviter asseverat, vociferaturque, non uno titulo, neque uno sed pluribus voluminibus complexos Fundatorum suorum nomina et beneficia a mille, et suprà, annis Trudpertinos Ascetas, HABSPURGIORUM COMITUM tantò ante nomen auditum et celebratum demonstrare, quanto post Guillimannus et nonnulli contendunt, in Ergovia primum innotuisse. Inspeximus, pergit Bucelinus àvton̄is eodem habitu ac spiritu, inspeximus sexcenties et millies, evolvimus, revolvimus, cùm anno Christi MDCXXIV. Novitiorum illic (in Monasterio S. Truderti in Brisgavia) Magistrum ageremus, eadem lapidi, eadem ari incisa, eadem pergameno, eadem tot libris HABSPURGIORUM inscripta nomina, ut nunquam miraremur satis, in mentem cuicunque erudito homini venire potuisse, nova eadem et antea inaudita fuisse, priusquam in Ergovia sub A.C. 1026. sive ut aliis placet,

1034. *Rapatho Altenburgius* (*uti nonnulli vocant*) HABSPURGUM conderet, a quo deinceps primū Altenburgii essent HABSPURGII cognominati. Resuscitatum diversis et locis et temporibus id nominis fuit, et quidem ante nongentos iam annos, cùm in Hiltrude eius generis ultima consenuisset atque extinctum esset, in Alberici Ducis filiis renovatum ac restitutum, cùm nomen idem cum hereditate acciperent, et ad seros deinceps posteros, tanto decursu seculorum, ad Augustissimos Cæsares nostros et Serenissimos Archiduces, nunquam interrupta serie, propagarent. Haec tenus obtestatio Bucelini et veluti in Deorum Senatu deprecatio devotioque adversus Guillimannum.

7. Tum, quid in vetustissimo S. Trudperti Monasterio viderit, narraturus sic declamationem auspicatur: *Vidimus ipsi, legimus, et characteri, et si multum vetustate attrito, profundo nihilominus et largo, digitos immersimus, pulveres cum etate vix superabiles extraximus, ut inscriptionem vetustissimam ex lapide monumenti exscriberemus, in qua distinctissime HABSPURG deprehendimus: et lapide et monumento ipso adeo nihil novitatis preferente, ut quotquot inspexerint, haud videantur sibi quidquam ab ipsa antiquitate et simplicitate prisca modestia commendabilius ac venerabilius vidisse. Inscriptio sic habet:*

Hic requiescunt fundatores huius loci, Comites de Habspurg, Otbertus, Rampertus, et Luidfridus Landgravii Alsatiæ: item Hunfridus, Luitfridus et Hugo, Domina Ermentruda.

Ne verò quidquam nobis deesse Bucelinus pateretur, quod ad rectum de hac inscriptione ferendum iudicium pernecessarium erat, his verbis agmen suum concludit: *Cum au-*

zem constet ex diversis aliis eiusdem Cœnobii monumentis, præter iam dictos Comites HABSPURGIOS, Robertum etiam et Guntramum ibidem conditos, quorum nomina sepulchrali lapidi incisa non sunt, vel obiter quidem consideranti patet, sepulcori quidem inscriptionem et si antiquissimam, illo tamen posteriorem, nihilominus sub annum Christi octingentesimum et mortem Dominae Ermentruda, qua Hugonis coniux, Luitfridi senioris nurus fuit, lapidi iam fuisse insculptam, ut eorum, qui postea tumulo illati sunt, nomina lapis non caperet, adeoq; inscriptionem illam ducentis omnino annis HABSPURGO illo Ergoviae antiquorem: ut nihil de congreginato tot vetustissimis voluminibus et Necrologiorum continuata tot seculis lectione, HABSPURGIENSIMUM Comitum titulo, memorem, quæ omnia omnem subruunt atq; evertunt contra sentientium opinionem et assertionem.

8. Haec tenus Bucelinus, in quo nihil adeò desiderandum est, quām ut ipsa nobis verba tot librorum et tot vetustissimorum voluminum ac denique Necrologiorum Monasterii S. Trudperti, in quibus nomen HABSPURGENSE legebatur, fideliter alicubi exhibuisset, addidissetque, cuius seculi manus et charactere quæque verba exarata repererit. Hæc enim, quanti in re critica momenti sint, quis iam eruditorum ignorat? Sed ista saluberrimæ criticæ pars ævo Bucelini non admodum apud nostros excolebatur, quemadmodum et hodie apud plerosque iacet, existimantes ea omnia vetustissima monumenta esse, quæ vel eis nunquam visa vel lectu difficiliora et peregrina videntur. Itaque quæ Bucelinus de nominis HABSPURGICI vetustate, ex paulò superiore reddito HABSPURGIORUM epitaphio deducta, operosis declamavit, suo loco discutienda erunt. Interibi satis constat, quantum Bucelinus abhoruerit a sententia Guillimanni, qui nomen HABSPURGICUM non nisi cum cognomine Castro in Argovia natum fuisse definivit.

9. Quod si demum ex Bucelino quæsiveris, undene demum terrarum nomen HABSPURGIORUM sibi exortum et pro-

profectum videatur, subtiliori perquisitione non nihil offensus respondet; minime super *Etymologia tantopere laborare loc. cit. p.* oportere; quasi ab HABENDO HABENSPURGUM dicta fuisse<sup>224</sup>, eò quod Rapatho omnem suam HABENTIAM eò transtulisset, quod multò plures alii primo illi ad Vosagi radices sito tribuere --- Fuit proinde longè antiquius HABSPURGI nomen, et iam ante Ottoberti huius nostri (IV.) tempora non solum cognitum, sed et celebratissimum, cùm illustrissimi eodem ipso nomine Comites non unum, sed plura et magniscentiae suæ et egregia pietatis durantia in diem usq; hodiernum erigerent monumenta: quæ postquam avita corundem Arx, intra Vosagi montana, sive ubi cuny, sita, ut mille alia castra, palatia atque oppida, esse desit, nomen tamen fundatorum suorum ab oblivione vendicassent, etiam si Ottobertus (IV.) de quo modò agimus, Ethiconis pronepos, nomen corundem non assumpsisset, solicite semper curante Mecenatum suorum memoriam grata Religiosorum hominum posteritate, qui singulorum sigillatim et signatim memoriam ac nomina suis ephemeredibus et Necrologiis quam diligentissime annotarunt, totque seculis, ut omnia fere eruditionis fulcra et antiquitatis documenta, immortali cum merito posteritati conservarunt.

10. Concedit itaque Bucelinus manibus pedibusque insententiam Latzii, a Guillimanno iure meritoque deridiculo habitam, tametsi, quæ de etymo HABSPURGI ipse Guillimannus in medium attulit, eiusdem omnino farinæ sint. Quis enim homo sanus et suarum rerum amans sibi persuadeat, Rathbotonem illum, eiusque fratrem Wernherum Episcopum Strasburgensem castrum HABESBURCH ab HABENTIA, id est, a pecunia, thesauris et possessionibus suis nuncupare voluisse? Celanda et sepelienda, altumque condenda eis ista omnia fuerant, siquidem ea tuta voluissent ab offensi ac infidianis Henrici Imp. armis, quæ hâc hedera potius invitari, acui, et provocari poterant. Re enim vera, quod Magnus ille Gregorius aiebat, deprædari desiderat, qui

*thesaurum publicè portat in via*, a qua non absunt, qui castra sua a nummis, et opulentia sua cognominare non timent, ut ut ea muris, munimentis ac rupibus propè inaccessis communicant. Nihil igitur lucis ad aperiendum verum HABSPURGICI nominis etymon suo AVENDO Latzius et Bucelinus, nihil quoque Guillimannus sua HABENTIA hucusque nobis accenderunt.

11. Mihi porro, Excellentissime Comes, duo certissima et exploratissima in hac re sunt. Primum, nomen Gentis HABSPURGICÆ non aliunde originem capere, quam a castro HABSPURCH in Argovia. Nec puto hoc a quoquam veterum Germanicarum rerum et historiarum solidè perito viro negari posse. Innumera propemodum nobilium ac illustrium familiarum cognomenta in Germania hodieque supersunt, quæ non nisi ab avitis urbibus, castris, possessionibus et eiusmodi avitis titulis exorta fuisse omnes novimus. Quis igitur prudens et sanus aliud de cognomento Comitum de HABSPURCH statuerit, præcipue cum nobis ex publicis seculi XI. et XII. monumentis constet, eius generis Comites et castrum HABSPURCH occupâsse, et inde vulgo dictos, scriptos et appellatos fuisse? Amplius vero certum est, e seculo VI. usque ad XI. ex nullo authentico testimonio ostendi posse, ullum unquam ubicunque terrarum castrum extitisse, cui nomen HABSPURCH adhæserit, præterquam illi soli, quod Argoviam et ornavit et munivit. Igitur ab uno hoc Argoviæ castro HABSPURCH nomen HABSPURGICUM profectum esse apertissimum est.

12. Alterum, quod mihi exploratissimum esse dixi, est, genuinum, proprium ac maximè naturale etymon huius vocabuli HABESBURCH, seu HABSPURCH esse vocem antiquo-Germanicam et Theodiscam HABITPURCH, HUOPITPURCH, seu HABISPURCH, quæ omnes Theodiscæ linguæ radices *castrum præcipuum, præstantissimum, princeps, ac in suo genere excellens* significant. Idem nunc diceremus eine

Haupt-

**Haubtburch.** Nihil hic fingo, tametsi, cùm ratio cum fabulis habetur, difficile sit non fabulari. Omnia ex veteris nostræ lingua, qua et usi fuerunt huius castri conditores, consuetudine demonstrabo.

13. *Habit*, *Haubit*, *Houbit* et *Houpit* lingua veteri Germanica seu Theodisca certissimè idem significarunt, quod nunc *Haupt* Germanorum, et *Caput* Latinorum significant. Glossæ Theodiscæ in Tatianum c. 25. apicem sacræ Scripturæ Schilt. reddunt *Haubit*, teste Schiltero, qui addit: quemadmodum Gloss. vox Latina Caput pro cuiuscunque rei summitate usurpatur: ita Teuton. vox quoque (Germanica) ei respondens eminentiam quamcunque. Hic quidem apicem litteræ denotat: quæ ratio est, quare et Promontorium Belgis, Germaniaque inferioris incolis Hoofd vel Hövet appelletur. Ita Schilterus ex Palthenii Notis ad Tatianum pag. 353. Idem Schilterus plurimos ex veteribus Glossariis et versionibus Theodiscis locos congregat, ut amplius Theodiscum *Habit* et *Houpit* nostrum esse *Haupt* seu *Caput* confirmet. Kero Monachus in Alamannia Sankt Gallensis, qui seculo iam octavo Regulam S. Benedicti Germanicè vertit, locum illum ex cap. XV. a Pentecoste autem usque in caput Quadragesimæ &c. sic in Theodiscum transfert: unzin in habit dr fastun. Et illud ex cap. XLVIII. Qui codices in capite Quadragesimæ dandi sunt: dei puah in houpit zakebanne sint. Versio eiusdem Regulæ Theodisca Zwickfaltensis, seculo XII. adornata, et nondum edita, citatos versus ita exhibet: von Pfingisten aber unzi an de huobit der vastun. Et alterum: div buoc im huobit der vastun zigendi sint. Alia verso Teutonica eiusdem Regulæ, seculo XIII. facta, quam in Monasterio Aspacensi O. S. B. reperi, locum illum ex cap. LXV. cuius periculi malum eos respicit in capite, qui talis inordinationis se fecerunt auctores, sic interpretatur: diser vraisen ubel siht in ans houpte, di solhen ander ordenunge sib zeorthaben gemachet hant. Otfridus seculo IX. Monachus Weissenburgensis in Paraphrasí Theodisca Evangeliorum Lib. V. 19. 93. B 3 Ni

*Ni mag thar mana houbit  
helfan hereren uuiht. Id est:  
Nec poterit tunc virorum caput \*  
iuare proceres quicquam.*

\*Princeps.

Idem Lib. III. 24. 58. *Houbit alles guates, caput omnis boni, summum bonum.*

14. Vocabulum *Habit* et *Houbit* maiores nostri ad alia adiungebant eodem sensu et modō, quo hodieque solemus, scilicet, ut *eminens*, *precipuum* et *summum* quid innuamus. Egregia huius rei exempla extant in Glossario Theodisco Monseensi, seculo IX. collecto, et a me primū in *Thesauri Anecdotorum Tom. I. Parte I.* publici iuris facto. Ibi enim reperias *Toparchias Germanicę* dari *Houpitsteti*, cri-  
p. 330. et mina capitalia *Houpituntun Haubtſünden*, et denique Me-  
379. tropolim *Houpitpurch*, et Metropoles *Houpitpurgi*, quas vo-  
ces Alemanni, inter quos Kero fuit, *Habitpurch* et *Habit-  
purgi* pronuntiāssent, quæ ut apertè iam videmus, nihil in-  
nuebant aliud, quam præstantissimam et maximam aliquam  
urbem vel castrum. Evidem *Burgus* et *Burgum*, *Burch &c.*  
non modò urbem, sed etiam castrum, arcem, et palatium,  
eine *Burg*, *Burgath*, *Schloß &c.* mediò ævō notabat. Ve-  
getius iam Lib. IV. cap. 10. *castellum parvum, quod Burgum  
vocant.* Etsi libenter fatear, plerumque apud Germanos  
nomine *Burgi* civitates venisse, aut certè non nisi maiora  
et ampliora castra, quæ ædificii magnitudine et habitandi  
commodis nihil admodum urbibus seu oppidis concede-  
bant. Sed de his vide, si lubet, *Introductionem in Geogra-  
phiam medii ævi* Viri eruditissimi, Christiani Junckeri.

15. Cùm ita genuinum etymon nominis HABSPURGICI  
in HABIT seu HOUPIT, *caput*, et BURCH vel BURG, caſ-  
trum teneamus, restat explicandum, qua ratione nomen  
HABESBURCH et HABSBURCH seu HABSPURG idem prorsus  
fit, ac HABITBURCH. Quocirca ungues non adeò morde-  
bunt, qui linguae nostræ veteris seu Theodiscæ notitiâ et  
vel

vel mediocri cognitione præediti sunt. Nihil enim in hac tritius est, quām *e* litteram cum *i* vocali commutare. Innumera exempla prostant in veteribus huius linguae monumentis. Immò videtur apud veteres Germanos enuntiatio litterarum *e* et *i* non admodum discrepasse. Quæ res in causa fuerit, cur etiam in Latinis vocabulis hæ duæ vocales apud librarios medii ævi passim confusæ reperiantur. Sed quid immoror rei quotidiana experientiâ compertissimæ?

16. Eadem propè fors fuit litteræ *t*, quam nostri antiquissimi maiores cum littera *s* et *z* persæpe permutabant, tam cùm scriberent, quām cùm farentur. Exemplum ex pluribus unicum depromam ex epistola Zachariæ Papæ, quæ anno DCCXLII. ad *VVittam* vel *VVittanum* scripta, inter Romanorum Pontificum et Bonifacii Moguntini epistolas excusa prostat. *Qui enim*, ut opportunè monet eruditus Uſſerius, *Saxonico nomine VVitanus, sive VVhitus dictus est*, a Præf. ad *Lupo Servato et aliis Latino vocabulo Albuinus eodem sensu est Epist. appellatus*. Igitur Saxonibus *VVit* seu *VVhit*, idem erat, quod *VVis* vel *VVizz*, albus, *Weiß*, unde Albuini Albinive nomen. Alias Theodiscis *Vit*, *VVett*, *VViž*, *Uuizzi*, *VViti* *VVisi* etiam significant prudentiam, scientiam, rationem et intellectum, quod cumulatè ex veteribus demonstrat sæpe a nobis laudatus Schilterus. Si causa quæratur adeò proclivis et facilis apud avos nostros litteræ *t* in *s* et *z* conversionis, non dubito eam esse, quod in pronuntiatione *t* sicut *s* vel *z* persæpe efferrent, qui sibilus etiam in scripturas irrepigit. Belgæ, seu inferioris Germaniæ populi idem hodieque obtinent, voces plures Germaniæ superioris, in quibus *ſſ* vel *ꝝ* est, non nisi duplici *t* reddentes, ut *VVazzer*, *VVaffer*, *VVatter*, aqua &c.

17. His ita constitutis facile nunc divinare est, quô modò idem omnino HABITBURG, HUOPITBURG, HABESBURCH et HABSPURG sint. Si enim *e* et *t* more veterum Ger-

Germanorum pronunties, habes HABIZBURG, HABISBURCH  
 HABESBURCH, et si sequaris eorundem usum, quo e voca-  
 lis media frequentissimè elidebatur, audies familiarissimam  
 tuis auribus vocem HABSBURCH seu HABSPURG: quæ, ut  
 hucusque conspeximus, omnia easdem radices HABIT et  
 BURCH agnoscunt clamantque præstantissimum, optimum et  
 excellentissimum castrum, cuiusmodi revera fuisse castrum  
 HABSBURGENSE vel ex ipso Guillimanno discimus, qui eius  
 adhuc rudera coram inspexit, et his verbis ob oculos po-  
 Lib. IV. nit: *Unus aditus versus Aquilonem aderat, ceterarupium in-*  
 p. 185. *gentia precipitia cladebant. Eum aditum dupli fossa occu-*  
*pavit (Ratbodus) propugnamentisque, ut adhuc rudera et la-*  
*pidum congesti ad ingressum cumuli ostendunt, firmavit. In-*  
*teriora arcis et eius pars magna supereft nunc etiam. Mulier*  
*anus et exita atate nobis ad ea loca visentibus mira recensebat,*  
*que a majoribus accepisset, monstrabatque Comitum septem, ut*  
*ipsa affirmabat, in eodem arcis ambitu disiuncta habitamenta,*  
*sive toridem familiarum separatas sedes. Et esse potuit. Cum*  
*pluribus annis simul vixerint Rudolfus, qui postea imperavit,*  
*et fratres Albertus et Hartmannus, itemque omnium pater Al-*  
*bertus, Rudolfus quoque avus, una cum Rudolfo patruo et li-*  
*beris eius. Hæc Guillimannus de amplitudine castri HAB-*  
*SPURCHENSIS, quæ licet accreverit ex instauratione Wern-*  
*heri et Rathbotonis in molem haud paulò maiorem, ante*  
*tamen eorum tempora iam propè in urbem consurrexisse,*  
*vel solum nomen Burgi, passim civitatibus a Germanis at-*  
*tributum, ostendit.*

18. Atque hoc demum esse genuinum ac proprium  
 HABSPURGI etymon, nemo, ut equidem spero, nostræ  
 antiquæ linguæ peritus, veritatisque præ fabulis et figmen-  
 tis amans denegabit. Variis postea nomenclaturis hoc ca-  
 strum compellatum fuit. Acta Murensia HABESBURCH,  
 præferunt. Chronicum Melicense coævum ABESPURCH, et  
 HABESPURCH. Chronicum Salzburgense antiquius HAUS-  
 PACH,

PACH, sed manifesto errore pro HABSPURCH. Claustrum neoburgense et Zvvetlense recentius HABSPURCH. Chronicon Leobiense HABELSPURG et HABSPURG, cuius auctor Anonymus apud Rev. et Cl. fratrem Script. Rer. Austriac. T. I. col. 835. castri situm his verbis exponit: *quod est castrum in exordio montium, ubi mons Iovis et Alpium Iularum inter lacum Alamannicum et Losanicum haud longe prospicitur celsitudo.* In alio Chronico Zvvetlensi itidem HABELSPURCK legitur. Chronicon Hildesheimense Tom. I. Script. Brunsvic. Leibnitii fol. 765. *Idus Iulii A. D. 1291. obiit Rodolphus natione de HAVEKESBORCH, serenissimus Rex Romanorum.* In Codice Iuris gentium Diplomatico Leibnitii fol. 4. Comitatus ABSEBOURG memoratur in quibusdam compositionis litteris inter Albertum Reg. Rom. eiusque filium Rudolphum Austriæ Ducem, et Philippum Pulchrum Franciæ Regem an. 1299. nisi id mendum sit, et pro ABSEBOURG, ABESBOURG restituendum. Plures nominis huius variationes apud alias invenies, quas hic in cumulum conferre epistolæ ratio non admittit. Nec ego isthic institui de varia castri HABSURGICI nomenclatione agere, sed tantum, quod proprium huius vocabuli etymon sit, indicare: quod num a me solidè præstitum sit, tuo, Excellentissime Comes, iudicio relictum esto.

19. Alia nunc, eaque non uno momento gravior, implicatiorque quæstio succedit, quo primùm seculo castrum HABSPURG, et quo auctore constructum, atque adeò nomen HABSPURGICUM auditum fuerit. Si Guillimannum audiamus, qui Wernherum Episc. Argentinensem et Rathbotonem huius castri facit auctores, de nomine HABSPURGICO ante seculum undecimum reperiundo penitus desperandum est. At si tantum epitaphio Comitum de HABSPURG, in Monasterio S. Trudperti reperto, et supra num 7. relato, tribuamus, quantum equidem contendit Bucelinus, id iam clarissimum initio seculi IX. fuisse concedamus necesse est. Sed ego

neutrum verum esse censeo, statuoque castrum HABSPURCH  
in Argovia licet omnino certò definiri non possit, quo præcise  
ac determinatè tempore et a quo conditore constructum  
sit, verosimillimum tamen esse, post initium seculi X. a  
Ludfrido seu Luitfrido Comite primitus constitutum fuisse,  
ab indeque nomen HABSPURGICUM principia cepisse.

20. Sentientiam hanc, utut haec tenus haud visam, ex  
fundo hausí minimé pestilenti. Primus, qui de HABSPURG  
cognomentum tulit, fuit COMES LUDFRIDUS, si quidem  
rem monumentorum antiquitate metiamur, cuius in huius-  
modi disputationibus ratio unica habenda est. Extant au-  
tem antiquissimi versus, nobis servati ab Eruditissimis Patri-  
bus Bollandianis, qui testantur in frontispicio Codicis, nitide  
et cum diversis coloribus exarati, unde interpolata S. Trud-  
perti Acta ad diem XXVI. Aprilis dederunt, hoc distichon ad-  
scriptum esse:

Othpertus, Rampertque, Comes Ludfridus ab HABSPURG  
Trudperti sacra fundarunt Martyris adem.

Iudem doctissimi Viri porrò observant, in eodem frontispi-  
cio adscripta esse ista verba: spectat hic liber, de S. Trudper-  
ti Martyris vita, ad bibliothecam Monasterii predicti Sancti  
viri, a quo Monasterium pervetustum originem duxit. Tum  
addunt Clarissimi Bollandiani: scriptam esse hanc historiam,  
vel, uti auctor prefatur, stylo decentiori innovatam esse, ad-  
ditaque miracula, que nondum a tunc viventium memoria re-  
cesserunt, anno MCCLXXIX. indicatur sub finem hisce versibus:

Tempus si poscas, quo scripsimus hæc, ita noscas:  
Millenis decies septem, ter tresque, ducentis  
Annos adiicies in carne Dei venientis:  
Abbas Wernherus tunc rexit Martyris adem,  
Verna Dei verus, sibi qui det in æthere sedem.

Sequebatur, pergunt Bollandiani de eodem Codice dis-  
ferentes, Idyllion, ut vocatur, de Vita et passione S. Trudperti  
Martyris secundum Alphabetum: quod subiicimus et est huiusmodi:

a pag.  
424.

Auf-

Auspicio Christi, cuius pia signa tulisti  
 Belliger, hoc palmam Trudperte statu capis almam,  
 Cum patrias sedes et avitas deseris ædes,  
 Diligis auricomam peregrino limite Romam &c.

Ad hæc notant accuratissimi Viri: et aliquo spatio vacuo interposito additur hoc distichon non nota anni:

Qui me scribebat, Sifridus nomen habebat.  
 Dextera scriptoris benedicta sit omnibus horis.

Anno Domini i. 5. 7. 0.

Postremò advertunt rem in præsenti causa gravissimam, scilicet in eodem Codice, *extremo in margine Libri I. extare initium epitaphii, recentissima quidem manu, sed antiquissimorum versuum relatrice scriptum*:

Has Erganbaldus Trudperti Martyris almi  
 Præsul post cineres renovando restruxerat ædes  
 Tactus amore Dei: venerandos scribere Sancti  
 Actus non piguit, sed et id pro posse peregit.

Hoc epitaphium statuunt Viri doctissimi et in rebus mediis ævi versatissimi, seculo X. iam scriptum fuisse, utut *recentissima manu in recentissimo pariter codice exaratum*: ut acutè, solidè ac eruditè observant, hi versus *nihil habent ex rhythmica Poësi, qua sola ferè, circa annum millesimum atque deinceps per secula aliquot, dictare solebat istiusmodi epigrammata*.

21. Non supervacaneam meam fuisse curam in reddendis Bollandianorum verbis, quibus codicem suum a capite ad calcem adeò religiosè nobis depinxerunt, nunc illico tenebis, Excellentissime Comes. Etenim ex iis auctoritas et antiquitas primorum illorum versuum, quibus Codicis frons ornatus et veluti laureatus fuit,

*Othpertus, Rampertque, Comes Ludfridus ab HABSPURG  
 Trudperti sacram fundarunt Martyris adem,  
 atque adeò Nominis HABSPURGICI epocha præprimis de-  
 pendet. Namque si epitaphium, seu posteriores illos ver-*

sus de Erganbaldo Abate, primo Vitæ S. Truderti Auctore, etiam *recentissima manu* exaratos, seculo tamen X. iam conditos agnoscunt viri harum rerum experientissimi, quia *nihil habent ex rhythmica Poësi, quæ sola ferè, circa annum millesimum atque deinceps per secula aliquot, dictare solebat istiusmodi epigrammata*: quomodo eodem seculo X. inferiores sint primi illi in Codicis *Frontispicio* versus de Othperto, Ramperto et Comite Ludfrido ab HABSPURG, qui rhythmicos et Leoninos cucumeres ne infima quidem fimbria redolent?

22. Et verò versus hos:

*Othpertus, Rampertque, Comes Ludfridus ab HABSPURG  
Truderti sacram fundarunt Martyris ædem,*

non posse esse seculo X. recentiores, ulteriùs sic demonstro. Nemo eosdem tribuet seculo XVII. id est, omnium recentissimo, si ætatis Bollandianorum ratio habeatur. Eius enim seculi Poëtæ iam omnia sorduissent epitaphia, quæ primos loci sui Fundatores Othpertum Rampertumque, *Comitum et Landgraviorum* titulis non coronarent. Parnasso indignum iudicasset, damnassetque ad stivam eum, qui adeò nudè, nulloque cum syrmate tantos Heroas appellare auderet. Sed versus hi nec seculi XVI. sunt. Etsi enim politiores litteræ iam tum velut e longissimo exilio in Germaniam reversæ essent, seriùs tamen ad Monasteriorum adyta admissas esse constat. Et cuiusmodi Poësis in Nigra Sylva adhuc an. 1570. quo Bollandianus codex ex scriptus est, fuerit, Sifridi Librarii versus, num. 20. recitati, ad nauseam nos edocent. Seculi XV. tanta stibligo fuit, ut purissimi nostri versus sine atrocissima Musarum iniuria ei adiudicari non possint. Flosculos seculi XIII. et XII. omnes eruditæ noverunt. Eorum specimen cape sis ex citato num. 20. ubi non sine causa Interpollatoris Vitæ Trudpertinæ, qui an. MCCLXXIX. scripsit, versus iterum dedi. Vide hominis elegantiam!

*Tempus si poscas, quo scripsimus hæc, ita noscas:  
Millenis decies septem, ter tresque, ducentis &c.*

Seculo XII. nostros de Ludfrido ab HABSPURG versus non extitisse, ex inscriptione lapidis sepulchralis Fundatorum San-Trudpertinorum, a Bucelino recitata, manifestarium est. En eam iterum:

Hic requiescunt fundatores huius loci, Comites de Habsburg, Ot-pertus, Rampertus, et Luidfridus Landgravii Alsatiæ: item Hunfri-dus, Luitfridus et Hugo, Domi-na Ermentruda.

Hoc Epitaphium seculo XII. non esse antiquius vel solum nomen LANDGRAVIORVM, ante hæc tempora inauditum, convincit. Frustra proinde fuit Bucelinus, dum *digitos mo-numento immersit, et pulveres cum ætate vix superabiles ex-traxit, ut inscriptionem vetustissimi ex lapide monumenti exscri-beret, lapide et monumento ipso,* ut ait, *adè nihil novitatis præ-ferente, ut, quotquot inspexerint, haud videantur sibi quid-quam ab ipsa antiquitate et simplicitate prisca modestia com-mendabilius ac venerabilius vidisse.* Atqui nomen LAND-GRAVIORUM ALSATIÆ ultra seculum duodecimum, quo et natum est, nihil antiquitatis afferre certissimum est. *Simplicitas autem prisca modestia* quanta in hac inscriptione sit, ex titulo COMITUM DE HABSPURG, quo exornantur Otper-tus et Rampertus, appareat, quos Erganbaldus, ille vetustus ac probus seculi VIII. vel etiam VII. Scriptor *quosdam ex Nobilibus personis nominare satis habuisset.* Seculi igitur XII. hoc epitaphium est. Atqui hinc securissimè colligas, Poë-tæ nostri de LUDFRIDO AB HABSPURG epigramma tanto certius id seculum ætate præcedere, quanto longius a re-centiorum bullarum et honorum pompis et titulis abhor-ret. Denique idem Poëta nec ad seculum XI, iure referri

potest. Etsi enim eius ævi nonnulla nobis carmina supersint, quæ Leonino fermento contaminata non sint, summa tamen cura, modestia et castitas, qua versus nostri conscripti sunt, eos seculi XI. esse nequaquam permittunt. Jam vigebat hoc tempore maximum Fundatorum nomina illustrandi ac celebrandi studium. Nomen HABESBURGICUM vulgo notissimum erat. Trudpertinorum persuasio firmissima obtinebat, Otpertum, Rampertum et Ludfridum unius eiusdemque generis esse. Omnes hos tres eodem COMITIS titulo condecorare Poëtæ promptissimum erat. Licebat enim et ita canere:

**OPERTUS, RAMPERT COMITES LUDFRIDUS  
AB HABSPURCH.**

Sed ab his omnibus alienissimus Poëta noster fuit, contentus Ergenbaldi vestigia, quantum per versuum legem licet, scrupulosè ac fideliter pressisse. Ad quæ omnia accedit, Poëtam nostrum in epigrammate suo haudquaquam omissurum fuisse Landolum seu Lancelinum Comitem Altenburgensem, filium Guotrami Divitis, qui Landolus evastatum ab Hungaris circ. A. C. DCCCXXXVIII. Monasterium S. Trudperi, ante finem seculi X. restituit et instauravit, ut tradit Guillimannus, qui eiusdem Comitis obitum anno DCCCCXCI. consignat. Hunc, inquam, Landolum inter eos, qui fundarunt sancti Trudperi Martyris adem, haudquaquam omissurus fuisse, si seculo XI. cecinisset. Igitur cum in Ludfrido, qui post initium seculi X. maximè flouruit, finiat et sistat Poëta, sub idem tempus cecinisse confessaneum est.

22. Observandum postremò, Ludfridum a Poëta nostro cautissimè dici, LUDFRIDUM AB HABSPURG fuisse COMITEM nequaquam verò LUDFRIDUM COMITEM AB HABSPURG extitisse, inter quæ mirum quantum discriminè est. Ludfridi ævò COMES HABSPURGENSIS vel COMITATUS HABSPURGENSIS nullus adhuc fuit, nec tum Comitatus a castro vel urbe, sed vel

vel a provinciis, in quibus Comitatus siti erant, vel a proprio nomine Comitum cognominabantur. Sic Arnulfus Imperator quasdam res in pago Quinquinogovve in Comitatu Thes. Hunolfi Monasterio S. Emmeratimi restitui iubet. *Data* Anecd. XII. Kat. April. anno Dominicæ Incar. DCCCXC. *Actum Mosa-* Novis. T. purch regia civitate. Idem confirmat quandam complacitationem inter Tutonem Ep. Ratisbon. et Henricum Clericum de tali proprietate, sicut per nostra concessionis præceptum in Tunagovve in Comitatu Paponis, in loco, qui dicitur Puopingga, habuit. *Data* prid. Id. Maji anno Domini DCCCXCV. indict. XIII. anno verò VII. regni Arnolfi piissimi Regis. *Actum* in loco, qui dicitur Dripura. Ludovicus III. Arnolfi filius, anno DCCCCI. Ekkepero Monacho Emmeramensi iugerum unum ex vineis suis donat in pago Vuestermann, in Comitatu Liutboldi, propè villam, quæ dicitur Maëtingan, positum. Anno DCCCCIII. idem Rex confert Tutoni Ep. quasdam res suæ proprietatis, hoc est, in pago Nordgevvi, in Comitatu Paponis Liutboldi, in villa quæ dicitur Teorinhova &c. Sed infinitus sim, si omnia huius rei exempla vel ex solo meo Thesauro, præfertimque ex Codice meo Diplomatico in hunc locum conveham. Ad huius ætatis morem et Poëta noster COMITEM nuncupavit LUDFRIDUM AB HABSPURG, non COMITEM AB HABSPURG, cùm probè nōsset, LUDFRIDI COMITATUM nequaquam in castro HABSPURG, sed vel in Brisgovia vel in Alsacia, certè in Alemannia extare, nec in usu sui ævi positum esse, Comites aut Comitatus a privatis familiarum possessionibus compellare.

23. COMITEM eodem sensu Ludfridum nominat Eberhardus I. Episcopus Constantiensis in genuino eius epitaphio, æri inciso, et haud multis post Ludfridi mortem annis, teste Guillimanno, his verbis conscripto:

**Luitfridum Comitem, nobilitate per-**  
**celebrem, huius loci structorem, S.**  
**Trudpertus, suus nosterque Patro-**  
**nus, in sua suscepsum, fidelis fidei**  
**iussor, Idibus Mai Domino feliciter**  
**commendavit. Eberhardus Episco-**  
**pus scripsit.**

Epitaphium istud Ludfridi ab HABSPURG, quod Eberardo I.  
 Ep. Constantiensi debent posteri, ideo hic retuli, ut, quæ  
 de Poëtæ nostri ætate censui, tanto amplius constarent.  
 Ubique eadem puritas, simplicitas, candor ac brevitas,  
 morumque veterum veluti simulachrum, quæ certissimæ  
 antiquitatis notæ sunt.

24. Nec est, quod viros eruditos admodum moveant  
 illa prioris Hexametriverba : LUDFRIDUS AB HABSPURG, quasi  
 seculo X. adhuc insolens fuerit. præcipuis ac illustrioribus  
 quarundam stirpium Heroibus nomen indere a castris et  
 urbibus, quibus præfuerunt. Fateor equidem liberaliter ac  
 ingenuè, huiusmodi cognomentorum exempla, quod ego

\* Regineri  
*de Vueita-*  
*bu seu*  
*Vueitaha*  
*Concam-*  
*Hugone*  
*Abbate*  
*Fuld. circa*  
*an. DCC*  
*CXIV. vi-*  
*de in Pro-*  
*bat. n. III.*

quidem sciam, in Actis publicis. ante seculum undecimum,  
 prostare vix ulla. \* Verum in privatorum hominum scri-  
 ptis legimus, quæ eum usum jam seculo X. obtinuisse per-  
 spicum faciunt. Chronicon Zvvifaltense minus in Suevia,  
 bium cum probum et antiquum, in Zinzendorfianis meis proximè  
 edendum, ad an. DCCCCXLI. Luitboldus Dux patri rebellat.  
*Adilbertus Comes, de Martila, in obfidence S. Udalrici apud*  
*Mantichingin in bello occiditur.* Chronicon Zvvifaltense  
 maius, æquè probum, ad an. DCCCCVI. Adelbertus, no-  
 bilis et bellicosus de Babenberg Cuonradum emulum suum pugna-  
 victum

victum, cum aliis multis peremis. Hermannus Contractus ad an. DCCCCCLIII. Superveniente cum copiis militum Adalpero de Marthale Comite, et Theodbaldo Episcopi fratre, item Comite, pugna victus turpiter occisus est etc. Atqui nec Marthale, seu Amardela vel Mertala Comitatus huius nominis fuit, sed castrum duntaxat privatæ familiæ, licet præpotentis, nec Babenberg ulli Comitatu initio seculi X. nomen dedit, sed familiæ itidem possessio fuit, a quibus tamen non minùs Adalbertus decollatus, quam Adalbertus de Martala nomen traxerunt. Nec hæc exempla elidunt, qui fortè respondent, citata Chronicæ coæva haud esse. Do quidem istud, sed quis vel obiter in eiusmodi Chronicis, de se antiquis, versatus ignorat, in ea plerumque nil aliud, nec aliis admodum verbis illatum fuisse, quām quod et quibūs antiquiores et coævi scriptores posteris reliquerunt? Maneat ergo ex operosis hætenuis deductis certum ac firmum, seculi decimi versus esse:

OTHPERTUS, RAMPERTQUE, COMES LUD.  
FRIDUS AB HABSPURG  
TRUDPERTI SACRAM FUNDARUNT MARTYRIS  
ÆDEM.

25. Jam verò cùm ex nullo æquè antiquo monumeno nomen HABSPURG, ante Ludfridum Comitem, erui posset, hinc iure merito existimamus, tam nomen quām ipsum castrum HABSPURG ab eodem Ludrido initia cepisse, et utrumque initio seculi X. primùm Orbi innotuisse. Occasionem extruendi munitissimi ac præstantissimi castri incursiones Hungarorum, Alemanniam, in qua id positum est, eodem tempore devastantium, dubio procul Ludrido præbuerint. Recenseo eas Barbarorum in has partes invasio-  
nes ex coævo Chronicæ Augiensi. \*

Anno : DCCCCIX. Ungares Alemanniam ingressi sunt.

DCCCCX. Franci ab Ungaribus aut occisi, aut fugati sunt.

*Ballue.*

*T.I. Misc.*

*a p. 496.*

**DCCCCXIII.** Ungri partes Alemanniæ vastaverunt, et iuxta In fluvium a Bauvariis et Alemannis succensi sunt.

**DCCCCXV.** Ungari totam Alemanniam igne et gladio vastaverunt.

**DCCCCXVII.** Ungari per Alemanniam in Alsatiam et usque ad fines Lotharii regni venerunt.

**DCCCCXXVI.** Ungari totam Franciam, Alsatiam, Galliam atque Alemanniam igne et gladio vastaverunt. Et Burghardus Dux occiditur. Ungari per Orientales Francos et Alemanniam multis civitatibus igne et gladio consumptis, iuxta Wormatiam Rheno transito, usque ad mare Oceanum regnum Galliæ devastatedaverunt, et per Italiam redierunt.

**DCCCCXXXIV.** Ungari ab exercitu Regis Heinrici occisi sunt, et multi comprehensi sunt.

In tanta Alamanniæ ab Hungaris clade, quis dubitet eius Comites, Præfectos ac Nobiles de excitandis firmis adversis hostium, propè annuorum, impetus castris et munitiobus, quibus se, sua, suosque tutarentur, cogitasse, idque iam ab anno DCCCCIX. quô Alamanniam primùm ab Hungaris invasam ex Chronographo Augiensi percepimus? Igitur Ludfridus Comes, ut et ipse avitas suas in Argovia, quæ nobilis Alemanniæ portio erat, cum hominibus possessiones tueretur, et Altenburgensibus civibus præfens e propinquo asylum præberet, castrum amplissimum munitissimumque in adfici montis vertice, construxerit, ab ipsa hac præstantia, commodo et amplitudine HABITSPURG, HABISPURG, HABESBURCH et vulgo HABSPURG nuncupatum.

26. Verum ut propugnamentum hoc Argoviæ aliquamdiu vim hostium tulerit, gladiis ac ignibus Vngarorum ante annum DCCCCXXXIV. id tamen cessisse tandem, ac in ruinas subsediisse vero simillimum, immò ex Wernheri Episc.

Episc. Argentinensis, Ludfridi de Habsburg seri nepotis, testamento, anno ab incarnatione Domini millesimo vigesimo septimo, indictione decima, regnante Cunrado Imperatore, scripto, propè compertum est. In hoc enim instrumento Wernherus se disertè nominat *castri*, quod dicitur HABESBURCH, fundatorem, ut vidimus num. 4. ubi Guillimanus et Dominicus Tschudius Abbas Murensis vocabulum *Fundator* ita interpretantur, ut velint, Wernherum Episc. fuisse primum, qui CASTRUM HABESBURCH exstruendo incepit, atque adeò et loco et nomini HABSPURGICO primos natales dederit.

27. Ast falluntur summi Viri, dum in instrumento Wernheri significationem vocis *Fundator* nimis arēto pomœrio concludunt. *Fundatoris* enim nomen mediò ævō non is solus auferebat, qui loci cuiusdam initia primus posuisset, sed etiam ille, qui eundem vel dotasset, restaurasset, ampliasset, aut suis impensis, beneficiis, immò etiam consiliis quoctunque modo iuvasset ac ornasset. *Chronica Australis* apud Freherum Tom. I. Script. German. ad an. DCCCCXCII. *Cœnobium Sancti Emerani Ratisbonæ ab Arnolpho Cesare fundatur*, id est, augetur. Nam, ut auctor est Otto Frising. Lib. II. c. 6. *dilexit præ ceteris regni sui locis metropolim Boioaria Ratisponam*. Unde et muros eius ampliavit, monasteriumque sancti Emmerani plurimis ornamenti adornavit, ac largis possessionibus locupletavit. En, quo titulo dictus sit Arnolfus *fundator*, seu *fundasse* Monasterium, iam inde a seculo VIII. clarissimum. Necrologium Mellit. I. Script. cense vetus: IX. Kal. Julii Henricus Marchio obiit, Fundatorum unus huius loci, qui s. Cholomannum Medlicam iussit afferri, siquidem nostri Monasterii Primus *Fundator* est et dicitur in inscriptione lapidis sepulchralis *Leupoldus*, primus Austriae Marchio. Sed quid longius vagor? Ipsi hi, quos haec tenus illustravi, & quos nemo dixerit seculo saltem XI. inferiores, versus omne nobis dubium eximunt:

OTHPERTUS, RAMPERTQUE, COMES LUD-  
FRIDUS AB HABSPURG  
FUNDARUNT SANCTI TRUDPERTI MARTY-  
RIS ÆDES.

Ex Erganbaldo verò liquidissimè constat, Othpertum solum prima Monasterii Trudpertini fundamenta iecisse. Ex eodem gravissimo et coævo scriptore iuxta perspicuum est, eundem locum pluribus post annis a Ramperto, Othperti nepote, duntaxat restauratum fuisse. Denique ex ipsius Ludfridi instrumento anni DCCCIII. planissimum est, easdem S. Martyris ædes ab eodem Ludfrido instauratas, dotatasque fuisse ac stabilitas. Et tamen omnes hi tres Monasterii Trudpertini *Fundatores*, *fundarunt*, a Poëta dicuntur. Inscriptio lapidis sepulchralis eiusdem cœnobii, saltem seculo iam XII. adornata, eadem causâ Otpertum, Rampertum et Ludfridum *Fundatores* appellat:

Hic requiescunt Fundatores huis loci,  
Comites de Habsburg, Otpertus,  
Rampertus et Luitfridus etc.

Jam verò ex his abundè patet, nullam necessitatem nobis esse, verba illa Wernheri Ep. Argentinensis, quibus in testamento suo se *fundatorem castri*, *quod dicitur HABESBURCH*, appellat, in eam partem accipiendo, quasi verò ille primus id castri a solo excitâsse, sed satis gloriæ Wernhero relinquitur, si dirutum pridem ab Hungaris, suis opibûs et consiliis restaurâsse ac veluti de novo *fundâsse* dicatur. Princeps ac primus, qui castrum et nomen HABSPURGICUM condidit, fuit initio seculi X. COMES LUDFRIDUS AB HABSPURG.

28. Cæterum a secunda hac, quam circa an. MX.  
Wernherus Episc. Argentinensis cum fratre Rathbotone  
auspi-

auspicatus est, Castri HABESBURCH fundatione, nomen HABSPURGICUM præcipue inclaruit. Ipsum verò Rathbotonem iam tulisse nomen Comitis de HABSPURG, satis colligitur *ex antiqua Fundatorum Murensis Monasterii Genealogia*, quæ in hunc modum incipit: *Theodricus Dux Lotharingorum et Chuono Comes de Rinfelden fratres fuerunt.* Horum soror fuit *Ita COMITISSA DE HABSPURG, reparatrix huius Murensis cœnobii.* Fuit hæc Ita coniunx Rathbotonis, fratris Wernheri Ep. Strasburgensis, quod undeque exploratissimum est. Atq[ue] non apparet ratio, cur Ita dici potuerit COMITISSA DE HABSPURG a Genealogo Murensi, si unicus ejus maritus Rathboto COMES DE HABSPURG nunquam cognominatus fuisset.

29. Sed maximum incrementum ac stabilimentum nomen HABSPURGICUM nactum est in Wernhario II. cognomento PIO, filio mox celebrati Rathbotonis Comitis, cuius Wernharii sub nomine COMITIS DE HABSPURG planissima memoria fit in Diplomate Henrici IV. Imp. dato *IV. Non. Martii, Indictione VII. anno Dominica Incarnationis MCXIV.* regnante Henrico IV. Rege Romanorum anno VIII. imperante III. Ut adeò hic verissimè scripserit Guillimannus: *et si p. 205. et Othonem et Adelbertum, fortean etiam Landolum iuniorem 206* (fratres Wernharii II.) HABSBURGIENSES *sese COMITES indigitâsse probabile, primus tamen est Vernerus, \* quem publicis monumentis hoc insignem titulô reperio. - - Is maximè fuit, qui Wernha ex se stemma et HABSBURGIENSIMUM claritudinem et memoriam provexit et celebravit.* Hæc, inquam, verissimè a Guillimanno perscripta sunt, si quidem ei de incremento nominis HABSPURGICI sermo fuerit. Nam primam eius cum castro HABSPURG originem ad seculum X. et LUDFRIDUM Comitem referendam esse, plus quam satis sit, puto me hactenus demonstrâsse.

## PARS II.

*Unde et ex qua origine Augusta Gens  
HABSPURGICO - AUSTRIACA  
prodierit.*

30.

**S**ed age nunc, Excellentissime Comes, et utrum ex certis ac minimè dubiis, iisdemque veteribus monumentis huius tantæ Gentis, qualis HABSPURGICO - AUSTRIACA postmodum fuit, hodieque est, ertiq; ut de coelo precamur, usq; dum ista simul omnia occidunt, utrum, inquam, adeò Augustæ stirpis Auctor proxime demonstrari possit, videamus. Corrugas hic nonnihil frontem, non propterea quidem, quasi omnia ea, quæ Gloriæ huius Divinæ Domus qua ratione proficiunt, te non maximopere delecent, sed quia times, ne te in sylvam, infinitis doctissimorum hominum disceptionibus horridam, inducam, unde vix ullus sine vulnere exitus pateat, omniaque ad ultimum cum Demiphone illo finienda sint:

Terent.  
Phor. II.  
3.

fecisti probe:  
Incertior sum multò, quād dudum.

Sed pone tanti per istam curam, Comitum Maxime. Tantò apud me omnia certiora et explicatoria erunt, quantò ab adulandi et hariolandi studio remotior sum. Perplexissimam hanc indagationem reddiderunt viri docti, non solùm quod non satis veteribus monumentis instructi eandem suscepérunt, sed etiam, quia ipsum naturæ ductum sequi sibi haud satis gloriosum existimârunt. Igitur dum in ultimam Domus HABSPURGICO-AUSTRIACAE originem inquirerent, nequaquam, ut natura solet, a parvis, aut saltem mediocribus, sed statim a magnis, quidam etiam

a ma-

# TABVLA CHRONOLOGICA AVGVSTÆ DOMVS HABSPVRGICO- AVSTRIACE.

Otpertus,

*Vir Nobilis in Brisgaugia*  
an Chr. 605.

Rampertus

*Nepos Otperti, restitutor Monasterii S. Trudperti*  
*in Brisgaugia, circ. an 700.*

Hugo,

*frater Comitis Ludfridi ab*  
*Habsburg, circ. an. 890.*

Comes Ludfridus ab Habsburg

*tertius Fundator Monasterii*  
*S. Trudperti an. 903.*

Hundfridus.

Hugo II.

Luitfridus II.

Guotramus Dives.

Landolus I. seu Lancelinus

*primus certò dictus Comes de Alten-*  
*burg, occupator Comitatus Rorenensis, ob. cirs. 991.*

Birchtilo seu Bertholdus

*Zaringensium sator.*

Rathboto Comes

*de Habsburg*  
*ob. circ. 1027.*

Wernherus Ep.

*Argentoratensis*  
*ob. 1028.*

Rudolfus

*ob. circ. 1013.*

Landolus seu

*Lancelinus II.*  
*ob. 1036.*

Otho.

Adelbertus.

Wernherus II. Pius,

*in publicis monumentis*

*Comes de Habsburg*  
*dictus, obiit 1096.*

Richenza.

Bertholdus

*Barbatus.*

*In hac tabula ea duntaxat Nomina posui, qua ex*  
*veteribus optime nota monumentis demon-*  
*strarri possunt.*

ABUNDIA  
CHRONOLOGIA  
AGEASTATIS  
HABEBATUR  
ARGUMENTA



Terent.  
Phor. II.

3.

Cōmēs pād

hūs

3

Hab.

Yāmōlāi. ūyāmōlāi. Yāmōlāi. Yāmōlāi. Yāmōlāi.

Hab. II. Hāmōlāi. Hāmōlāi.

Gnōlāmōlāi. Dīvār.

a maximis ordiri maluerunt. Hinc scrutandi erant omnes Stemmaticis Carolini surculi, alii ad Regum Merovingorum in Francia reliquias, alii ad Alamanniæ Duces dilabebantur. Alii, quod vix quisquam crederet, nisi libri in manibus essent, ab Osiride Ægyptio, alii a Noë et Cham, alii ab Atenore Troiano, Cimmeriorum ad ostia Danubii Rege, alii ab Ænea, alii a Scipionibus et Fabiis, Romanorum nobilissimis, sibi auspicandum censuerunt. Alii denique, qui modestiæ aliquid tribuendum putarunt, ad Petros Leones gentem Romanam, aut certe ad Anicios, alii denique ad alia figmenta confugerunt, de quibus sanè plerisque rectè censuit eruditus Ioan. Ludovicus Schönleben:

*In hoc delinquent nonnulli atatis anterioris Geneographi, quod Praeom. omnem penè familiam ab equo Troiano, a Priamo, Antenore, Dissert. Ænea, quin a Noëmo trahant, nullis annalium vel fastorum de Orig. presidiis fulti. Ea re tamen Mecænatibus placere se putant, Dom. cùm fidem perdunt, et Principum Regum illustrare familias, cùm Habsp. maximè obscurant.*

Merè siquidem facta censerit solent, qua in uno fabulosa notantur: et demeretur assensum integra narratio, qua fictionis indicium exhibet in parte. Supervacanea profectò illa cura est, qua omnis sanguis Regius purpure acceptus refertur, quasi decederet aliquid Principalifamilia, ab origine non regia profluxisse. Prudenter mehercle ac doctè, quæque et mihi præprimis dicta cavendaque existimabo. Cæterùm cùm probè meminerim, me ad scribendam epistolam, non ad condendum volumen accessisse, tribus ve- luti Theorematibus universam hanc de Origine Gentis HABSPURGICO - AUSTRIACAE disputationem complectar. \*

\*Vid. ad iuncta TABU-

31. Primum omnium exquisitissimum et indubitabile LA

est, gentem illam, quæ HABSPURGICA quocunque tempo- CHRO-

re dicta est, eiusdem esse originis ac stirpis, cuius fuit gens NOLO-

illa, quæ saltem post medium seculum X. appellata fuit GICA

ALTBURGICA seu Altenburgensis ab Altenburgo Argoviæ civitate, Evidentissimum hoc reddit optimæ apud omnes notæ

notæ monumentum vetus, *Acta* scilicet *fundationis Monasterii Murensis*, plus simplici vice a viris eruditis edita, et summō, ut merentur, locō habita. In his non longè ab initio dicuntur *hic quidam divites liberique homines curtim habentes Kanze-* buisse, quorum et ipsa ecclesia fuit: qui rogaverunt *Lanzelinum\** linum. Comitem de ALTBURG, filium Guntranni *Divitis*, ut esset defensor suarum rerum. Atqui ex iisdem *Actis* affirmatissimè constat, Rathbotonem, uti et Vernherum Ep. Strasburgensem, fundatorem seu restauratorem castri HABSPURG, cum fratre Rudolpho, eiusdem *Lancelini* seu *Lanzelini* fuisse filios: ac insuper *Vernharium II.* publicorum monumentorum fidei assertissimum nominis ac gentis HABSPURGICAE propagatorem, extitisse nepotem *Lanzelini*. Igitur extra omnem controversiam est, gentem illam, quæ aliquando HABSPURGICA dicta fuit, eiusdem esse originis, sanguinis et stirpis, cuius post medium saltem seculum X. fuit Altenburgensis in Argovia. Nec puto futurum ullum solidè docendum ac eruditum Virum, qui huic nostro velut canonico volet contradicere.

32. Alterum, quod statuo, eiusdem certitudinis ac evidentiæ est, nimirum gentem, aliquando dictam HABSPURGICAM et ALTBURGICAM ex eadem fuisse stirpe ac origine coortam, cuius extitit *comes Ludfridus ab Habsburg*, quem ex proprio ac genuino instrumento constat vixisse an. DCCCCIII. Nisi enim hoc ita sit, necesse est omnium in hac re absurditatum maximam nos adoptare, duas scilicet familias de HABSPURG, inter se ac secundūm stirpem ac sanguinem diversas in natura rerum extitisse, quarum una ad LUDFRIDUM DE HABSPURG, altera ad gentem HABSPURGICO - ALTBURGICAM pertinuerit, de quo monstru vel cogitare nulli adhuc sano in mentem venit.

33. Postremò æquè puræ liquentisque fidei ac veritatis est, gentem Comitis Ludfridi ac HABSPURG, proficiisci ab OPORTO, quodam Nobilium personarum in Brisgaugia, qui

qui S. Trudpertum circa an. DCV. suscepit, illiusque nepote ac successore RAMPERTO. Pronuntiatum nostrum affirmatur ab ipso Comite Ludfrido ab HABSPURG, cuius in instrumento seu charta fundationis et dotationis Monasterii Trudpertini hæc verba sunt: *Ideo\* ego Luitfridus in nomine\* Integrum sanctæ Trinitatis, quod nobis suggesta honestas sacerdotum, clausissima dignitas rerum, omnisque industria fidelium, decrevi de-vota mente quoddam Monasterium in honore Dei constitutum, et Apostolorum Petri et Pauli et Sancti Truderti martyris, qui ibi coronatus, et in ipso sanctissimo corpore requiescit, ceterorumque Sanctorum, quod a praterflente fluvio Nymaga, nunc Monasterium Sancti Truderti vocatur, restaurare et augmen-tare, cum edificiis, omnique ornatu ad Divinum cultum per-tinentibus, quod ego a fratre meo HUGONE IN PARTEM HAEREDITATIS POSSEDI.* Unde *Divino amore compunctus pro re-medio animæ meæ et progenitorum atque successorum meorum, quicquid per chartam traditionis donatum fuit ab ANTECES-SORIBUS MEIS, OTBERTO videlicet, qui inducтор fuit pretiosissimi Martyris, et RAMBERTO, ceterisque fidelibus, eandem villam, cum omnibus illi adiacentibus --- in integrum atque per totum, consentientibus filiis meis HUNDFRIDO, LUIT-FRIDO ET HUGONE, trado et transfundo Uualderico Abbatii atque fratribus ibi Deo servituris &c.*

34. Apertissimum ex his ipsius Ludfridi ab HABSPURG verbis est, OPERTUM, quendam ex Nobilibus personis in Brisgaugia, ut cum Erganbaldo candidissime loquar, eiusque nepotem RAMPERTUM fuisse ANTECESSORES Ludfridi, a quibus per fratrem suum HUGONEM Monasterium S. Truderti, ab illis fundatum, IN PARTEM HAEREDITATIS POSSEDIT. Quod si autem OPERTUS et RAMPERTUS Ludfridi ab HABSPURG fuerunt ANTECESSORES, omnes unius eiusdemque stirpis ac originis fuisse, evidentissimum est. Namque veteribus nullus ANTECESSOR in publicis instrumentis dicebatur, qui ab eodem sanguine ac stirpe

alienus erat: nec id hactenus ullus eruditorum, ne quidem  
 qui hic nobis vehementissimè adversantur, negavit. Atque  
 iam nunc demum, Excellentissime Comes, limpidissimè  
 vides, quis Augustæ Gentis nostræ HABSPURGICO-AUSTRIA-  
 CAE auctor et conditor extiterit, quantum quidem ex pro-  
 bis, coævis aut saltem subæqualibus monumentis demon-  
 strari potest. Nempe OTHPERTUS QUIDAM EX NOBILIBUS  
 PERSONIS IN BRISGAUGIA is fuit, ex cuius sanguine ac stir-  
 pe tot Comites, Duces, Reges ac Imperatores prodire  
 immensa illa Dei providentia iussit, hinc potentissimæ Do-  
 mus origo, hi genuini ac purissimi fontes, a quibus qui  
 ex doctis viris deflectunt, nihil nobis nisi figmenta vendunt  
 et propinant. Schönlebius iterum cordatè: *certum est, in-*  
*quit, inter maiores Rudolfi I. Imp. sub titulo Comitum HAB-*  
*SPURGI, ALTBURGI et VINDONISSAE, numerari OTTO-*  
*BERTUM Comitem, qui S. Trudberto locum condenda ædiculæ*  
*in suo patrimonio assignavit, et hunc vixisse ad an. DCLXVII.*  
*floruisse circa annum DCXXX. Unde sequitur indubiatum esse,*  
*nobilitatem HABSPURGICAM probari posse evidenter ab anno*  
*Christi DC. id est, per mille septuaginta et plures annos, quod*  
*fortè nulla hodie per Orbem Principalis familia de suis maiori-  
 bus tam certis et tam fide dignis monumentis ostendere potest.*  
*Hæc Schönleben, verissimè quidem quoad rerum summam*  
*et supra capita, licet nunnulla errata quoad OTTOBERTI*  
*ætatem dignitatemque admiserit, altum scilicet adhuc laten-  
 te Erganbaldo, quem tuæ unius gloriæ, Excellentissime*  
*Comes, faventes Superi reservârunt.*

35. Interibi, ut certissima ista lux disperaret, Solque  
 tantus, si quidem id evenire posset, de Austriaco Hori-  
 zonte pelleretur, extingueturque penitus, vide, ac una  
 mecum stupe, quid a celeberrimis ac eruditissimis viris,  
 quorum de Origine HABSPURGICO-AUSTRIACA systemata,  
 salvò OTTBERTO, ET LUDFRIDI AB HABSPURG instrumen-  
 tō, coire ac consistere non poterant, tentatum fuerit.  
 Andreas Quercetanus, seu Duchesnius, Magnus ille vir,

Proœm.  
 Dissert.  
 de Orig.  
 Dom.  
 Habsp.

ac Regis Christianissimi Historiographus, in Historia Burgundiæ Gallicè scripta, veritus haud est, Wolfgangum Latzium nostrum, qui Ludfridi seu Luitfridi instrumentum primus in lucem extulit, imposturæ ac fraudis arguere, ut qui id e suo duntaxat cerebro confinxerit ac fabricaverit: unde etiam prodierint OTHPERTUS et RAMPERTUS, Palladis, ex Jovis capite prognatæ, hac ratione propinqui et consanguinei. Eius Gallica verba sunt: *Il (Guilliman) apporte un certain titre, que sans doute Lazius a fabriqué, ou il luy donne des fils, qui sont aussi veritables et assurés, que les Otperts et les Ramperts, dont il le fait descendre; cela se prouvera manifestement faux dans l'Histoire entiere, ou l'on découvrira toutes les nullités de ce titre pretendu.*

36. Eò nonnihil modestior & cautior Illustris Georgius ab Eccard, vir cætera nec eruditione nec fama Duchesnio inferior, in *Originibus Familia Habsburgo-Austriacis*, Lib. I. c. 6. optimè advertens, suo Ethiconi Alemanniæ Duci, genuino, si Superis placet, HABSPURGIORUM Patriarchæ, praesentissimo veneno esse OTPERTUM et RAMPERTUM, ANTECESSORES LUDFRIDI, aliò artificiō huius posterioris instrumentum elumbum reddere aggressus est. Non eò, inquit, me abduci patior, ut cum Quercetano litteras illas a Lazio confictas putem, quanquam interpolatas concesserim. Quemadmodum enim post vocem: Ego Luitfridus, illud: Comes de Avendiburg, per fraudem afflictum et infartum agnoscit Guillimannus Lib. III. c. 1. Ita etiam a fautoribus Ottoperorum et Rampertorum ex traditione veteri et incerta apud Monachos S. Trudperti facile post voces: ab antecessoribus meis, illud: Ottoberto videlicet, qui inductor fuit pretiosissimi Martyris, et Ramberto, inseri potuit, aut ex margine, cui ab imperito harum rerum adscriptum declarationis causâ fuerat, in textum transponi: cuiusmodi depravationum exempla quotidie in Diplomatibus occurrunt. Hæc doctissimus Eccardus, cuius verba quam venam referant,

ferant, omnes norunt, qui Diplomatici belli historiam teneant. Eccardi non in eo nullas fuisse partes ex variis eius editis Operibus satis constat, ast virum hunc cataphractum ac æneum, vincibilem tamen fuisse vel solus eruditissimus Abbas Joan. Fridericus Schannatus, illustre nostrorum temporum Decus ac Ornamentum, in suis Archivii Fuldensis Vindiciis non uno loco ostendit. Quantum vero felicior ac maior ex isto hoc nostro certamine de Ludfridi instrumento excessurus sit, paulo infra patebit. Nunc ad celeberrimum Virum, Andream Duchesnium revertendum est, qui et OPERTUM et RAMPERTUM, universumque Ludfridi instrumentum a Wolfgango Latzio conficta esse censet.

37. At enim Duchesnium ab obstrigillando Latzio facile iam arcet vetustissimus Scriptor Erganbaldus, Abbas sub Ramperio Sancto-Trudpertinus, cui fidem veille derogare profecto delirare foret: nec haec suspicio in tantum virum cadere potest, cui tot veterum Scriptorum Francicorum volumina in acceptis refert gratissimus Orbis Litterarius. Quid au-

*Atha 5.*

*Trud. c.*

*i. & 2.*

*vid. Prob.*

*n. I.*

tem noster Erganbaldus de OPERTO et RAMPERTO? Alter vero, Truotpertus nomine, Italiae fines pertransiens, Rhenique fluminis cursum sequens, Alamannie provinciae maximam partem pertransiens, in pago Brisgaugia haud longe a Rheno flumine vallem quandam in saltu vicino, quasi a Deo sibi assignatam, magno cum conamine caput inquirere. Qui dum heredem eiusdem vallis OPERTUM QUENDAM EX NOBILIBUS PERSONIS reperisset, vir Deo devotus caput conatu, quo valuit, ut per nomen Domini IESU Christi hominibus suis deducentibus, iam olim ad optatam vallem, visere quivisset. Qui mox, UT HOMO NOBILIS, viri Dei a Deo sentiens voluntatem venatoribus suis iussit, ut illum ad locum, quem petiit, sine mora perducerent. - - - Cumq[ue] ille omnia verba Dei servi referentis libenti animo suscepisset, ut erat VIR KARITATE REFERTUS, non solum non contraire famuli Dei voluntati cupiebat, verum etiam

etiam omnimodis desiderio illius favens, non tantummodo locum, quem inhabitandum petiit, mente devota concessit, sed etiam PRÆDIA QUÆDAM JURIS ILLIUS, suprà commemorato loco vicina, cum adiacentibus in servitium TRADIDIT. - - Cùm verò c. 3. iam tertium penè beatus Truopertus in eremo peregisset annum, die quadam meridiano labore fatigatus, cùm in scanno suo aliquantulum dextro in latere iacens, dextrag. manu caput excipiens, membra sopori dedisset, unus a supradictis germanis arrepta securi virum Dei dormientem in tempus percutiit, cerebroque infixam securim relinquens fugit. Sanctus verò Truopertus felicissimam mortem suavissimo socians somno, proprio cruento martyrii coronatus, sexto Kal. Maji perrexit ad Dominum. Prämiserat iam cap. I. Erganbaldus annum martyrii his verbis: Truopertus legitur per palmam martyrii anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo septimo, sub beato Bonifacio tertio, regnante Foca Imperatore migrasse de miseria vita presentis. Sed pergit Erganbaldus: OPORTUS mox ut virum Dei occisum repe- c. 4. rit, festinare illuc quantocius cœpit. Cùmq; inhumatum, et quasi gratissimo somno quiescentem reperisset, Deo, ut dignum erat, in primis gratias referens, qui tali triumpho militem suum dignatus est, factum est, ut diligentí investigatione a nonnullis exploraret, qualiter imperfectores viri sancti iam altera die inviti e salu proruperant. Animadvertens autem miraculum a Deo ostensum, quarta illucescente martyrii die illius custodes in eo, quo priùs apparuerunt, loco deputavit. At illi ut rei misericordia nil morantes, hora adventus sui, sicut superius fecerant, eundem in locum devenerunt. Cùmq; ita fame macieque atque abruptione omnium indumentorum confecti essent, ut absq; ulla difficultate a custodibus comprehendenterentur, statim ad OPORTUM adducti sunt. At ille sapienti usus consilio, ut securius Martyris Christi depositionem procurare quivisset, viros vincit post tergum manibus ad BOBONEM, ID TEMPORIS COMITEM, ut illius iudicio damnarentur, trahi præcepit. - - - Igitur sanctus Truopertus sarcophago de petris preparato, dignis sacerdotum

*populiq; Christiani laudibus, depositionem laudabilem in ORATORIO, quod OTPERTUS ob venerationem sancti viri construxit, Christo largiente percipere meruit. - - Post aliquanta namque annorum curricula, cum innumerabilia ad corpus sancti Truoperti miraculorum signa iugiter cernerentur ostensa, cuidam servo Dei in visione sanctus Truopertus apparuit, eisq; quod corporis illius media pars aquis maderetur, indicavit. Quam visionem cum ille, cui ostensa est, diffamare potius, quam occultare mallet, Presbyteri pagi vicini, OTPERTO adhuc superstite, ibidemq; praesente convenerunt.*

*c. 6.* Hæc Erganbaldus de OTPERTO. Subdit iam de RAMPERTO: Cum verò post multa tempora, annorumq; plura curricula regnis in diversa variantibus, isdem, in quo sanctus Truopertus requiescit, locus HÆREDIBUS dissonantibus penè in solitudinem foret redactus, ostensa est visio huiuscmodi, scilicet quibdam adhuc fratribus ibidem demorantibus, aliisq; sanctis atq; viris perfectis, eum fore in loco humidissimo tumulatum, cumque debere altius elevari, eodemque in loco decentius sepeliri. NUPER NOSTRIS TEMPORIBUS RAMPERTUS NOMINE, AC NEPOS OTPERTI, divina etiam ammonitione compunctus, diruta construere, inculta colere, destructa restaurare, atq; in diversa discerpta coadunare pleno caput conamine &c.

37. Quot in hac Vitæ Trudpertinæ epitome ferè apices, tot in Duchesnium tela vides, Excellentissime Comes. Ætas, conditio, immò et Religio OTPERTI certissima. Suscepit S. Trudpertum anno Ch. DCV. quo ætatis suæ, VIR scilicet iam KARITATE REFERTVS, minimum annum trigesimum quintum numeravit. Itaque natus est saltem anno Ch. DLXX. Eius patrem, si, quæ communis ætas est, ad annum vitæ quinquagesimum attigisse ponas, huius annus natalis incidet in annum Christi circiter DL. En ineluctabilem epocham et Æram HABSPURGICO-AUSTRIACAM! Sanctus Trudpertus in pago Erisgaugia cuiusdam Vallis haud longè a Rheno flumine HAEREDEM OTPERTUM QUENDAM EX NOBILIBUS PERSONIS

REPE-

REPERIT, QUI MOX UT HOMO NOBILIS *viri Dei a Deo sen-*  
*tiens voluntatem venatoribus suis iussit, ut illum ad locum,*  
*quem petiit, perducerent, nec id tantum, sed ei etiam PRÆDIA*  
*QUÆDAM IURIS sui, suprà commemorato loco vicina, cum ad-*  
*iacentibus IN SERVITIUM TRADIDIT.* En certissimas et an-  
*nossimas Domus HABSPURGICO-AUSTRIACÆ cunas, BRIS-*  
*GAUGIAM!* En indubia Eius *haud longè a Rheno PRÆDIA et*  
*possessiones!* En primas indubitatasque eius Tiaras, QUI-  
*DAM EX NOBILIBUS PERSONIS, OTPERTUS VIR NOBILIS,*  
*quibus multis post seculis Regiæ coronæ ac Imperatoria*  
*Diademata succedent!* Evidem OTPERTUM nondum fuisse  
*COMITEM, ex eo clarissimum est, quòd S. Truderti in-*  
*terfectores, narrante Erganbaldo, vincit post tergum mani-*  
*bus ad BOBONEM, ID TEMPORIS COMITEM, haud dubiè Al-*  
*satiæ, trahi præceperit, ut illius iudiciò damnarentur, id quod*  
*proprium munus Comitum erat, qui provinciis præside-*  
*bant.* Supervacaneum id profectò, immò indignum OT-  
*PERTO fuisse, si ipse COMITATUM gessisset, si quidem de*  
*COMITIBUS et COMITATIBUS veterum more loquamur.*  
*Neque tamen quisquam existimet velim, Erganbaldum in*  
*celebranda OTPERTI familia meritò ieuniorem minùsque*  
*liberalem fuisse, dum eum non alio nomine quam PERSO-*  
*NÆ NOBILIS, aut VIRI NOBILIS cohonestavit.* Longè enim  
*amplius quid et augustius hic apud veteres titulus afferebat,*  
*quam sequioribus temporibus.* VIRI illi NOBILES solo no-  
*mine ac potestate, non itidem amplitudine opum, posses-  
sionum, alijsve eiusmodi prærogativis a COMITIBUS vulgo*  
*excedebantur, ut ex veteribus chartis et Diplomatibus con-*  
*stat.* Sed iam aliud in OTPERTO, eiusque NEPOS RAM-  
PERTO veneremur.

38. OTPERTUS Sancto Truderto Martyri *Oratorium*,  
*id est, Ecclesiam construxit, Monasteriò ex prædiis sui iu-*  
*ris iam priùs fundatò.* RAMPERTUS EIUS NEPOS Erganbal-  
*di temporibus, id est, circa an. DCXC. divina ammonitione*

compunctus, diruta construere, inculta colere, destructa restau-  
 rare, atque in diversa discepta coadunare pleno cæpit conamine.  
 En prima et testatissima Pietatis HABSPURGICO-AUSTRIACAE  
 monumenta! Dubium non est, et alia OTPERTI VIRI KARI-  
 TATE REFERTI, RAMPERTIQUE NEPOTIS, erga Deum Di-  
 vosque plura religionis ac pietatis olim prostitisse argumen-  
 ta, sed quæ authenticō et coævō ex scriptore probari pos-  
 fint, solo Monasterio S. Trudpertii circumscribuntur. Unum  
 atque certissimum, quod primos Maximæ Gentis HAB-  
 SPURGICO-AUSTRIACAE conditores efficit Pios, est amor  
 et cultus S. Trudpertii Martyris, genuini asseclæ S. Bene-  
 dicti. Huius enim Regulæ addictum fuisse Trudpertum, ex  
 Erganbaldo perspicuum est. Fuit is germanus frater S. Ru-  
 perti primi Episcopi Salzburgensis et Noricorum Apostoli,  
 certissimi Regulæ Benedictinæ sectatoris, ut nuper in Epi-  
 stola ad Cl. P. Marcum Hanzizium Soc. Ies. demonstravi.  
 Cum eodem fratre suo ante annum DLXXXII. Romæ fuit,  
 ubi, uti et totâ Italiâ nulla tum Regula nisi S. Benedicti ob-  
 tinuit. Monasterium in sylva nigra instituit favente OT-  
 PERTO, qui eò *prædia* contulit. Quid enim *prædia* ad nu-  
 dum et succinctum Eremitam? Rampertus, Otperti ne-  
 pos id restituit *quibusdam adhuc fratribus ibidem demoranti-*  
*bus*, id est, Monachis, ut omnes vident. Denique Lud-  
 fridus ab Habsburg tradit et confirmat omnia, quæcun-  
 que per chartam traditionis donata fuerunt ab Antecessoribus  
 suis, OTPERTO videlicet et RAMPERTO, ceterisque fidelibus,  
 anno DCCCIII. nulla facta mentione Regulæ S. Benedicti,  
 utpote quæ aliunde, ac ab origine loci receptissima fuerat.  
 Ipse Erganaldus, anno circiter DCC. sub Ramperto vi-  
 vens in vetustissimo epitaphio *Præfus*, ist est, Abbas, dicitur:  
 Quæ omnia manifestè ostendunt, et Trudpertum et eius  
 ab origine Monasterium quām maximè fuisse Benedictinum.  
 Ut adeò nobis muscum merum ac fungos vendere velle vi-  
 deantur, qui nunquam viso genuino, ac lecto Erganaldo,  
 nescio

nescio quos Eremitas , primos Monasterii S. Trudpertii incolas, obtrudunt : quasi in sylva Nigra Monachi vivere non possint , nisi sint volatilia nullis certis caveis et legibus conclusa. Benedictinus fuit S. Trudpertus Martyr , Benedictini itidem eius successores , Benedictini , in quos prima et certa HABSPURGICO-AUSTRIACAE PIETATIS monumenta edita fuerunt. Sed hæc haec tenus.

39. Lubet iam clarissimum ac eruditissimum Andream Duchesnium consulere , et , quid ei iam conspecto eminus et cominus Erganbaldo videatur de OPERTO et RAMPERTO , rogare . Fabulisne hi nomina dederunt ? Wolfgangusne Latzius Ludfridi instrumentum , in quo OPERTUM et RAMPERTUM suos ANTECESSORES nominat , fabricavit ? Falsane ac fictitia hæc omnia sunt ? Expallescit primùm doctissimus Vir : tum ingemit tanti momenti vetera monumenta tam diu inter pulveres et sordes relinqui : postremò vellet ea , quæ in Latzium hoc articulo scripsit , non extare , tandemque pulcherrimo pudore utramque genam pictus et suffusus filet . Deinceps ad doctissimum Eccardum .

40. Non est ille præclarus vir adeò in Latzium iniquus , ut instrumentum Ludfridi ab eo confictum putet , sed *interpolatum* facile concedit . Rationes eius , immò meras coniecturas , quas fortè satius esset contemnere , supra num. 36. conspeximus . Sed ad eas tamen respondeo . Erganbalodus OPERTUM primùm nominat , qui locum et *prædia iuris* *sui* Sancto Trudpero contulerit . Idem celebrat RAMPERTUM , illius NEPOTEM , qui eundem locum restauraverit . Idem Monasterium Ludfridus dicit *a fratre suo Hugone in partem hereditatis se posse disse* . Igitur ex loco instrumenti Ludfridiani , ipsi etiam Eccardo minimè suspecto , clare ac apertè constat , OPERTUM et RAMPERTUM genuinos fuisse in possessione Monasterii S. Trudpertii ANTECESSORES LUITFRIDI seu LUDFRIDI . Nam hæc Eccardo aliisque eruditis Genealogis perpetua lex ac regula est , eos unius esse

*anteceffionis et successionis, atque adeò stirpis et familiæ, quorum eadem avitæ in partem hereditatis possessiones sunt.*

P. 131.  
41. Dein ratio, cur Eceardus suspicatur, post voces: ab *antecessoribus meis*, illud: OTBERTO *videlicet*, qui indu-  
ctor fuit *preciosissimi Martyris*, et RAMBERTO, a fautoribus  
Ottopertorum et Rampertorum inferi potuisse, quemad-  
modum post vocem: *Ego LUITFRIDUS*, illud: COMES de A-  
VENDIBURG per fraudem affictum et infartum agnoscit Guil-  
limannus, hæc, aio, Eccardi ratio ridicula, inanis, et  
tanto viro prorsus indigna est. Namque cur dissimulat Ec-  
cardus, Guillimannum eam recentiorum hominum fra-  
dem coarguisse quidem, sed eundem repræsentasse tamen  
hoc idem Luitfridi instrumentum, non ut circumfertur aliis,  
*sed sicuti ex autographo Wolfgangus Latzius transtulit?* Iam  
vero Latzius id primùm publicavit anno MDC. Libro VIII.  
de Migratione Gent. pag. 393. *quod*, inquit, *mihi Abbas S. Truderti communicavit*. Atqui in hac prima editione nul-  
lum penitus vestigium illius interpolamenti: COMES DE A-  
VENDIBURG, reperitur, sed summa et sincerissima fide  
sic Luitfridi verba referuntur: IDEO EGO LUITFRIDUS IN  
NOMINE SANCTAE TRINITATIS &c. Quod si Latzius fal-  
sam sibi ipse imaginem fingens, vel ab aliis falsus, in po-  
steriore Opere de *Genealogia Habsburgica*, aut eum dein-  
ceps secuti recentissimi Scriptores illud interpolamentum:  
COMES DE AVENDIBURG, imprudenter admiserunt, eius  
facti nulla utique ratio Eccardo, aliisque viris criticis ac  
in his rebus versatis habenda erat, utpote de primigenia,  
sincera ac veteri instrumenti Luitfridiani lectione ex Abba-  
tis Trudpertini fide certissimis. Et profectò quis animum  
inducat, ut credat, vel Abbatem Trudpertinum illa verba:  
COMES DE AVENDIBURG, in suo ad Latzium chirographo  
prætermissurum, rem scilicet suo Monasterio gloriosam, si  
ea in autographo suo reperiisset; aut Latzium eadem in edi-  
tione

tione sua prima dissimulaturum fuisse, si ea ab Abbatे Sanct-Trudpertino accepisset, utpote quibus eius fabula de AVENDO et AVENDIBURG adeò robustè ac invictè stabilitur? Dissimulavit tamen, fide nimirum victus Abbatis ac religione. Nunquam ea verba legit Abbas in suo exemplari, nunquam Latzius in suo exemplo. Igitur certissimum est ac indubium, nos adhuc genuinum, intactum, ac in cognomento Luitfridi non interpolatum eiusdem instrumentum apud Latzium in Opere de Migratione Gentium hodiéque habere, atque adeò nullam Eccardo occasionem aut rationem fuisse, ex huius corruptelæ similitudine, alterum eiusdem instrumenti locum, ubi de Luitfridi ANTECESSORIBUS, OTBERTO ET RAMBERTO fit mentio, sollicitandi.

42. Nec adeò peregrinum est, Eccardum ex perverso et adulterato Luitfridi instrumento ansam arripuisse, originem sincerissimam HABSPURGIORUM AB OTPERTO ET RAMPERTO dissipandi. Nam suis Alemanniæ Ducibus Ethiconibus semper malè metuens, idem egit cum Epitaphio Luitfridi, eiusque antecessorum successorumque. Ut enim systemati suo plausum conciliaret, non illud genuinum, ac seculo saltem XII. conditum, sed hesternum planè ac puerile ex Guillimanno recudendum curavit. In illas nugas ita præfatur Eccardus, rem nobis dicturus, de qua scilicet nunquam cogitâssimus: *Luitfridi in Monasterii Trudpertini templo sepultum colligas ex Diplomate paulo ante laudao (scilicet instrumento Luitfridi, hic nequaquam interpolato, quia locus placet et prodest Eccardo) et ex traditione, quæ in Monasterio illo obtinuit. Testem adducerem etiam epitaphium, ipsi et liberis ipsius ibi positum, nisi illud a recentiori auctore esse scirem.* Apponam tamen, ut eo certius eruditorum suffragium obtineam, iisdem, quibus illud apud Guillimannum legi, verbis:

L.I. Orig.  
Habsburg-  
Austr. p.  
38.

Generosorum Otperti, Ramperti,  
 Luitfridi, item Huntfridi, Luitfridi,  
 Hugonis, et Dominæ Ermandrudæ,  
 illustrium Comitum de Habsburg,  
 Alsatiæ Landgraviorum, huius or-  
 natissimi Monasterii fundatorum  
 hic sepulchorum Epitaphium:

Hoc nos in tecto solemnibus accipe saxis  
 Hospita terrena, pulvis & umbra sumus.  
 Nosque illo in claustro chari excepere nepotes:  
 Non fuit in toto gratior Orbe locus.

*Recentius, ut iam dixi, hoc epitaphium cœcus esset, qui non videret, primò ex titulo Generosorum, qui illa, qua Luitfridus vixit, etate insolens fuit: deinde ex titulo Illustrium Comitum de Habsburg, Alsatiæ Landgraviorum, qui hoc tempore longè posterior est: denique ex elegantia versuum Epitaphii et acuta conclusione, quæ antiquissimis illis temporibus non rara, sed invisa plane et ignota avis erat. Nihil horum abnuo, Vir Cl. immò et ipse pronuntio, hoc epitaphium proximorum esse temporum, puta seculi XVI. iam exspirantis. At non erat tibi in promptu aliud antiquum et genuinum epitaphium, ex quo non solùm, ubi Luitfridus sepultus fuerit, sed etiam, quos ANTECESSORES habuerit, aperte intelligeres? Gabrielem Bucelinum, cuius Ludfridiani instrumenti editionem cum Latziana scrupulose contulisti, tibi ex asse cognitus erat. Is vir ex vetusto, quod vidit et palpavit, marmore, hoc nobis epitaphium reliquit:*

Hic

Hic requiescunt fundatores huius loci,  
 Comites de Habsburg, Otpertus,  
 Rampertus et Luidfridus, Land-  
 gravii Alsatiæ. Item Hunfridus,  
 Luitfridus et Hugo, Domina Er-  
 mentruda.

Hoc tibi, Vir doctissime, epitaphium ex Monasterio Trudpertino afferendum erat, si plus roboris iam lusus voluisse. Scio probè, ac id iam num 21. confessus sum, epitaphium istud posterius seculo XII. antiquius non esse, cum quòd in eo *Landgraviorum* mentio fiat, tum quòd OTPERTUM et RAMPERTUM COMITES DE HABSPURG vocet inscriptio, quæ Erganbaldo repugnant. Sed id nemo non æquus facile condonaverit inscriptori seculi XII. qui ex usu temporum suorum antiquos salutavit. Id saltem ex hoc epitaphio certissimum tenemus, jam sexcentis ab hinc annis vulgo nostris Cœnobitis Trudpertinis, apud quos Ludfridus ab HABSPURG sepulturam nactus est, non *incertum*, sed persuasissimum fuisse, OTPERTUM et RAMPERTUM extitisse LUITFRIDI ANTECESSORES, eosdemque omnes unius fuisse generis ac stirpis. Nihil igitur penitus superstet, quòd Eccardus coniecturam suam sustineat, illum instrumenti LUITFRIDI locum, ubi OTPERTUM et RAMPERTUM ANTECESSORES SUOS appellat, interpolatum fuisse. Quin libet illud Tyndari apud Plautum hic usurpare:

*Operta quæ fuere, aperta sunt: patent præstigie.*

Plaut.  
Captiv.  
III. 3.

*Item*  
*Bacch. IV.* 43. HABES hic omnia, Excellentissime ac Gloriose  
 Comes, quæ tum de etymo nominis HABSPURGICI, tum  
 de genuina et certa origine AUGUSTAE GENTIS HABSPUR-  
 GICO-AUSTRIACAE ex me nōsse cupiebas. Qui ex veteri-  
 bus ac probis monumentis certiora iis, quæ scripsi, ex-  
 tuderit, profectō mihi erit *magnus Apollo*:

. . . *Ita me Jupiter, Juno, Ceres,*  
*Minerva, Latona, Spes, Opis, Virtus, Venus,*  
*Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,*  
*Submanus, Sol, Saturnus, Diique omnes ament!*

44. *Sinzendorfiana* mea, immō tua, nullam non ope-  
 ram do, ut quamprimum accipias. In iis conspicias omnia  
 vetera monumenta Historica, quæ in Gallia et Germania,  
 tuis, Excellentissime ac Munificentissime Comes, dum in  
 Conventu Sueßionensi Europæ fortunas moderareris, sum-  
 ptibus erui et commodo publico congregavi. Opus hoc,  
 quod novam universæ litterariæ rei lucem accendet, præ-  
 cipue iuverunt, præter Christianissimi Galliarum Regis Biblio-  
 thecam, Reverendissimi ac Præstantissimi Præsules ac Ab-  
 bates nostri Geroldus Rhinoviensis, Augustinus Zvifaltensis,  
 Rupertus Ottoburanus, Dominicus S. Magni in Faucibus  
 Alpium seu Füessensis, Wilibaldus Ursinensis, Amandus  
 Neresheimensis, Corbinianus Aspacensis, et Theobaldus  
 Allerspacensis Ord. Cister. qui si ex sua Bibliotheca ea mihi  
 mittere voluisset, quæ ipse sponte sua corām præsenti ob-  
 tulit, aut quæ in præstantissimis eius manu exaratis codi-  
 cibus reperi, Monasterium suum haud dubiè immortali  
 quadam apud eruditos famâ donāsse. Sed præter ina-  
 nem spem primū obtinui nihil, postremō et spes ipsa  
 decollavit, non vitiō Reverendissimi huius iuxta et Pientissimi  
 sanctique Præsulis, qui nullo non humanitatis genere  
 complexus me fuit, sed nescio cuius rei litterariæ inimi-  
 ci.

ci. Sed de his omnibus pluscula suo loco. Sacratissima  
ista Divini Paschatis festivitas, ut tibi, totique Illustrissimæ  
Familiæ tuæ cum maximo colestium donorum cumulo  
illucescat, devotissimo ac devinctissimo animo pre-  
cor.

*Ex Biblioteca Mellicense  
an. MDCCXXXI. 20.  
Martii,*



PROBA-

# PROBATIONES

quorundam Capitum, quæ in præcedenti Epistola de Etymo et Origine Augustæ  
Domus HABSPURGICO-AUSTRIACÆ asserta  
fuere.

## Num. I.

*Acta S. Trudperti Mart. auctore Eri-  
ganaldo, circa an. Chr. DCC. Abate  
Monasterii San Trudpertini in Brisgovia.*

## Cap. I.

*Sancti Trudperti ortus, patria, genus, peregrinatio Romam cum germano fratre Ruodper-  
to: illius reditus in Brisgoviam, huius in  
Baioariam. Annus obitus S. Truotperti.*

### I.

**C**Um igitur innumerabiles Martyres Romano Orbe, Francorumque imperio, proprio sanguine legamus fuisse coronatos, quam plures eorum ex aliis Mundi partibus auditâ famâ novæ ruditique Christianitatis, ad renovandam iam penè propter Doctorum inopiam, Christi Ecclesiam dirutam, Galliis advenisse partibus comprobantur

2. E quorum numero duos germanos fore *Patrum memoria* tradidit, qui ex *Hibernia insula* orti, exemplum plurimorum beatorum virorum sunt secuti, sicuti beati Galli, qui ex eisdem finibus exiens, cognationem et terram relinquens, eremum in territorio Episcopatus Constan-

stantiensis adiens, ibique multis laboribus fatigatus, pro Christi nomine, requievit in pace. In cuius nomine egregia constructa cernitur Ecclesia, multis divitiis et honoribus locupletata.

3. Simili quoque modo præfati duo germani *Truoper-*  
*tus* et *Ruopertus*, é quibus unus, videlicet *Truopertus* no-  
 mine, legitur per palmam martyrii, ut consequenter exponetur,  
 anno *Dominica incarnationis sexcentesimo septimo*, sub beato  
*Bonifacio tertio*, regnante *Foca Imperatore*, migrasse de miseria  
 vitæ præsentis, doctrinis variis incensi \*, quæ comminantur  
 æterna supplicia pro momentanea delectatione, et pro-  
 mittunt gaudia cœlestia pro rerum temporalium re-  
 lictione.

4. *Ducis enim cuiusdam filii secundum seculi nobilita-*  
 tem per viam cœlestis *Ducis* gradiebantur iuxta Evangeli-  
 cum præceptum Domini, patriamque mente integerrima  
 relinquentes, crucemque Christi corde gestantes, ad beati  
 Petri Principis Apostolorum limina convolârunt, ut summi  
 Clavigeri precibus animadvertere mererentur, quibusnam  
 Mundi partibus Dei servitium, ipso, favente, inchoare  
 deberent. Et quia nemo est, si propria voluntas non ti-  
 tubaverit, qui Dei adiutorium Sanctorumque illius incas-  
 sum quærat patrocinium, præfati germani *de Roma* repe-  
 dantes, certissimi facti sunt, quibus in locis Dei famula-  
 tum exercere, et præsentem vitam terminare, nunquam  
 morituri felici memoria, deberent. Unus namque illorum  
*Baioariis partibus remeans*, *Ruopertus* nomine, dignissimam  
 sui nominis retinens memoriam, clarissimis miraculorum  
 signis haec tenus floret in Orbe. Alter verò, *Truotpertus*  
 nomine, Italiæ fines pertransiens, *Rhenique fluminis* cursum  
 sequens, *Alamannia* provinciæ maximam partem pertransiens,  
 in pago *Brisgaugia* haud longè a *Rheno* flumine vallem quandam  
 in saltu vicino quasi a Deo sibi assignatam magno cum co-  
 namine cœpit inquirere.

\* Supple:  
 sunt

## Cap. II.

*Otpertus, vir in Brisgovia Nobilis, s. Truotpertum benignè recipit, eique quadam prædia largitur.*

5.

**Q**ui dum hæredum eiusdem vallis *Otpertum quendam ex nobilibus personis reperisset*, vir Deo devotus ab illo flagitare cœpit conatu, quo valuit, ut per nomen Domini IESU, hominibus suis deducentibus, iam olim ad optatam vallem visere quivisset. Qui, mox ut *homo nobilis viri Dei a Deo sentiens voluntatem, venatoribus suis iussit*, ut illum ad locum, quem petiit, sine mora perducerent. Qui iusfa completes, mox ut quandam partem saltus pertransiebant, per aliam viam, quam petiit, eum perducere conati sunt. Sed continuò Vir Deo inspiratus, votum illorum agnoscens, per devia loca vicini montis spontanea voluntate peragrans, ad locum, quem cupierat, statim pervenit Christo Duce, ibique propè fluvium *Numagæ*, et iuxta aliam ripam, ex eodem monte currentem, quia delectabilē sibi locum reperit, primitus sacræ orationi insistere cœpit.

6. Cùmque diutius summum precibus pulsaret Tonantem, tandem ab oratione surgens, ductores suos obnoxè Dei famulus rogare cœpit, ut revertentes ad prædictum *Otpertum*, dominum suum, largissimæ voluntati illius gratias reddissent, eique hoc omnino a Dei servo nuntiarent,

\* *Videtur etiam legi posse: eius servitium adimplendum reperisset*, de quo nullo unquam tempore diebus vitæ suæ recedere voluisset. Quod cùm supra memorati venatores eisdem verbis Dominum.

minuo suo nuntiassent, ut vir felix, futuram felicitatem mente retractans, Deo Omnipotenti gratias agens, omnem humanitatem, omnemque benignitatem Dei famulo imposterum exhibuit. Nam primitus ipse ad illum visitandi gratiam in eremum pergens, cunctamque illius voluntatem diligentissime explorans, nihil in animo sancti viri aliud potuit experiri, nisi quod solius Dei causâ locum illum expeteret, quem iam olim ipso annuente praesignatum haberet.

7. Cumque ille omnia verba servi referentis libenti animo suscepisset, ut erat *vir karitate refertus*, non solum non contraire famuli Dei voluntati cupiebat, verum etiam omnimodis desiderio illius favens, non tantummodo locum, quem inhabitandum petiit, mente devota concessit, sed etiam *prædia quædam iuris illius*, suprà commemorato loco vicina, cum omnibus adiacentibus, beato Truotperto in servitium tradidit. Quin etiam sex viros singulares ac fortes viribus, [ad] saltumque purgandum aptissimos, Dei famulo delegavit, qui in illius famulatu iugi perseverantia in omnibus, quæ vir Dei indigeret, id temporis persistere non cessarent.

8. O beatum nimiumque felicem viri seculi actibus occupati mentem, quæ talem ac tantum propriis sedibus receptum suis meruit successoribus relinquere Patronum ! O nulla præponderatio argenti et auri, primi et purissimi, ubi tanti Patroni tot eminentia cottidiana habentur solatia, ut tam viri quam fœminæ, tam seculares devoti, quam Clerici religiosi illius immensam continuamque apud Deum interventionem quærere, piis compuncti fletibus non desinant ! Ad præfatæ narratiunculæ textum redeamus.

## Cap. III.

*Mors sancto viro illata ab iis, quos ei Truopertus  
in opus extirpanda sylva attribuerat.*

9.

**B**eatius Truopertus locum iam denominatum pii incipiens laboribus excolere, nil propriis parcens viribus, cottidianum operis pensum Deo Omnipotenti non cessebat offerre. Cumque ita continuum, diurnum nocturnumque tam in opere, quam etiam in oratione exerceret laborem, servi, qui sibi erant commissi, tantum subire laborem, delynari, paulatimque illi contrarii coperunt existere. Beatissimus vero Dei famulus ingratos viros cottidie, ut opus assuetum non omitterent, exhortans, meridianum prandium assidue, quatenus in opere non lassescerent, illis constituens, sibi tantummodo vespertinum, et hunc exiguum victum semper servare solebat.

10. Cumque vir Deo plenus aliquantum temporis in hac indesinente fatigatione laboris illo in eremo peregisset, praedictique sibi servi commissi, quamvis timore coacti, terrenum opus cum illo pariter continuo exercerent, pravam tamen voluntatem persuasum diaboli infusam quidam ex ipsis non dimittebant. Nam duo germani ex ipsis fratres tam immensum vanumque laborem cum servo Dei se tolerare nullo modo voluisse dicentes, tractare quiddam de eius morte conati sunt. Cæteris vero servis, nequam sibi consentientibus, illi cœptum facinus, antiquo persuadente serpente, relinquere nequiverant.

11. Cum vero iam tertium penè beatus Truopertus in eremo peregisset annum, die quadam meridiano labore fatigatus, cum in scanno suo aliquantulum dextro in latere iacens, dextraque manu caput excipiens, membra sopori de-

dedisset, unus è suprà dictis germanis arrepta securi virum  
Dei dormientem in tempus \* percussit, cerebroque infi- \* tempus  
xam securim relinquens fugit. Sanctus verò Truopertus  
felicissimam mortem suavissimo socians somno, proprio  
cruore martyrii coronatus, sexto Kal. May perrexit  
ad Dominum, qui vivit et regnat in secula seculorum  
amen.

## Cap. IV.

*Poena de Sancti Trudperti interfectoribus et huma-  
nitus sumpta.*

12.

**V**erùm hi duo germani, qui autores perpetratoresque  
necis insontis sanctique exstiterant viri, proprio reatu  
compuncti, per remota et invia densissimi saltūs tendere,  
atque Alamannorum partes expetere conati sunt. Sed quia,  
ut testatur Scriptura, *non est scientia, non est sapientia, non est*  
*consilium contra Deum*, die altera, quando se putabant aptum  
reperisse refugii locum, illa ipsa hora, qua athletam Chri-  
sti martyrio coronatum reliquerant, scissis ruptisque indu-  
mentis errando per erenum ipsum ad locum, ubi facinus  
perpetrārunt, inviti pervenerunt. Cumque de saltu egre-  
dientes ab aliquibus acclamantibus visi fuissent, iterum mi-  
serissimi hominum retro reversi refugium similiter, ut prius,  
conabantur expetere. Sed tertia nihilominus die eādem  
horā, qua prius, e sylva prorumpentes, multis iam adve-  
nientibus manifestati, illico revertentes, erroris sui viam non  
distulerant repetere.

13. Sed ut ad propositum revertamur, *Ospertus*, mox ut  
virum Dei occisum reperit, festinare illuc quantocius cœpit.  
Cumque inhumatum, et quasi gratissimo somno quiescen-  
tem reperiisset, Deo, ut dignum erat, in primis gratias refe-  
rens, qui tali triumpho militem suum coronare dignatus est,

factum est, ut diligentī investigatione a nonnullis exploraret, qualiter interfectorēs viri sancti iam altera die, sicut superiūs commemoravimus, inviti e saltu proruperant. Annadvertisens autem miraculum a Deo ostensum, quarta ilucescente martyrii die illius custodes in eo, quo prius apparuerunt, loco deputavit. At illi ut rei miserique, nil morantes, hora adventus sui, sicut superiūs fecerant, eundem in locum devenerunt.

14. Cumque ita fame macieque atque abruptione omnium indumentorum confecti essent, ut absque ulla difficultate a custodibus comprehendenderentur, statim ad *Otperatum* adducti sunt. At ille sapienti usus consilio, ut securiūs Martyris Christi depositionem procurare quivisset, viros vires post tergum manibus ad *Bobonem*, *id temporis Comitem*, ut illius iudicio damnarentur, trahi præcepit. Qui dum a strenuis veredariis illuc traherentur, contigit media via, ut ad quandam ripam devenirent. Sed cum unus eorum reorum ductorum hasta sua se fulciens super cippum eiusdem ri-

\* Ita nunc  
restituo  
pervar-  
sum lo-  
cum: bio-  
tonatis.  
Est autem  
thanati \*  
nece meruit perisse.  
Famuli vero illius, sancti vi-  
delicet, crudelis interfector, hasta infixus, nec semetipsum  
distulit interimere. Illo ergo, ut diximus, tali modo pereun-  
te, cum germanus ad presentiam *Comitis* ductus fuisset, abs-  
que ulla dilatatione suspensione patibuli sibi conveniente inte-  
llata mori-  
rit poena. Sed iam haec tristia seponentes, ad laeta Christi  
ritur. Vide militis funera stilum vertamus.

## Cap. V.

*Corpus S. Viri honorificè tumulatum, ac vivente ad-  
huc Otperto honorificentius curatum &c.*

15.

**I**gitur sanctus Truopertus, sarcophago de petris præpara-  
to, dignis Sacerdotum populique Christiani laudibus, de- \* Cod. di-  
positionem \* laudabilem in *Oratorio*, quod *Otpertus* ob ve- spositio-  
nerationem sancti viri construxit, Christo largiente percí- nem  
pere meruit. His ita peractis, quantis miraculorum mani-  
festissimis signis, quantisque virtutibus sanctus Truopertus  
claruisset, propter sensus inopiam stilus retardat percurrere,  
idcirco quia miracula vetusta non magnopere memoriae  
mandantur.

16. Post aliquanta námque annorum curricula, cùm  
innumerabilia ad Sancti Truoperti miraculorum signa  
iugiter cernerentur ostensa, cuidam servo Dei in visione  
sanctus Truopertus apparuit, eique, quod corporis illius  
media pars aquis maderetur, indicavit. Quam visionem  
cùm ille, cui ostensa est, diffamare potius, quam occul-  
tare mallet, Presbyteri pagi vicini, *Otperto adhuc superstite,*  
*ibidemque praesente* convenerunt. Qui cùm diutino tracta-  
tu, quid de huiuscemodi re agere deberent, consilium in-  
irent, Dei nutu repente visum est cunctis, ut sarcophago  
patefacto, qualiter se res haberet, omnibus innotesceret.  
Quo aperto ita corpus viri sancti integrum atque sanum,  
omnique ex parte incorruptum est repertum, ac si eadem  
hora eodemque momento foret humatum. Quod etiam  
ad maiorem Christi gloriam è tumulo prolatum miro in-  
effabilique modo, more noviter morientium lavacro lo-  
tum, linteaminibusque purissimis involutum, magnis Sa-  
cerdotum laudibus in loco priori noscitur fuisse depositum.

17. Quod

17. Quod idem ab Omnipotente credimus patefactum, ut nullatenus militis sui triumphus infirmis mentibus in dubium veniret. Quibus ita gestis devotio Christianorum, undique confluentium, pii Martyris suffragia quærere, templumque illius iugiter frequentantium, eius subventionem hactenus non cessat expetere: quia ubi tantæ virtutes meritis Sanctorum clarescunt, ibi devotio universorum indubitanter frequentabit.

### Cap. VI.

*Secunda Sancti Trudperti translatio, et restaurata eiusdem Ecclesia a Ramperto, sub Ergibaldo Abbe.*

### 18.

Cùm verò post multa tempora, annorumque plura curricula, regnis in diversa variantibus, isdem, in quo sanctus Truopertus requiescit, locus hæredibus dissonantibus penè in solitudinem foret redactus, ostensa est visio huiuscemodi, scilicet quibusdam adhuc *fratribus* ibidem demorantibus, aliisque sanctis atque viris perfectis, eum fore in loco humidissimo tumulatum, eumque debere altius elevari, eodemque in loco decentius sepeliri. *Nuper nostris temporibus, Rampertus nomine, ac nepos Otperti, divina etiam ammonitione compunctus, diruta construere, inculta colere, destructa restaurare, atque in diversa discepta coadunare pleno cœpit conamine.*

19. Cùmque illi omnia, Deo favente, ad votum cederent, ut in pristinum statum, quantumvis magno interveniente labore, universa redigeret, basilicamque cum copiosis (ex) auro paraturis, altaribus, nova decentique construeret materia, tunc demum convocato Episcopo, ad cuius dioecesim sacer ipse locus pertinet, innumera populi confluente frequentia, sacratissimum Christi martyris corpusculum

pusculum, devotissimo conveniente Clero iterum prolatum est è tumulo, iterumque tam ab Episcopo præfato, quām etiam a Rāmperto, cæterisque quām plurimis visum, qui tali tantaque visione digni putabantur, novo rursus involutum pallio, in altiore parte, nuper constructæ Ecclesiae positum est, Christi laude dignissimè percelebrata, ibique signis et virtutibus miraculorum floret usque in hodiernum diem.

## II.

*Comitis Luitfridi, seu Ludfridi de Habburg instrumentum fundationis et dotationis*

*Monasterii S. Trudperti an. Chr. DCCCCIII, Ex*

*prima editione Wolfgang. Latzii, Lib. VIII.*

*de Migrat. Gent. pag. 393. et seq.*

**Q**uid salubrius atque utilius potest quisquam cogitare, quām suo Creatori se suaque subiugare, de caducis atque transitoriis æternam vitam, dum valet, mercari, Domino monente atque dicente: *quid proficit homini, si mundum universum lucretur, anima verò suæ damnum patiatur?* Et illud Sapientis: *Redemptio animæ sunt propriæ divitiae:* Ideo ego *Luitfridus* in nomine Sanctæ Trinitatis, quod nobis suggerit honestas Sacerdotum, clarissima dignitas Regum, omnisque industria fidelium, decrevi devota mente quoddam Monasterium, in honore Dei constitutum, et Apostolorum Petri et Pauli, et sancti Trudberti Martyris, qui ibi coronatus, et in ipso sanctissimo corpore requiescit, cæterorumque Sanctorum, quod a præterfluente fluvio *Nymaga*, nunc Monasterium Sancti Trudberti vocatur, restaurare et augmentare, cum ædificiis omnique ornatu, ad divinum cultum pertinentibus, quod *ego a fratre meo*

*Hugone in partem hereditatis possedi.* Unde Divino amore compunctus, pro remedio animæ et progenitorum atque successorum meorum, quicquid per chartam traditionis donatum fuit ab antecessoribus meis, *Otberto videlicet*, qui inductor fuit preciosissimi Martyris, et *Ramberto*, cæterisque fidelibus, eandem villam cum omnibus illi adiacentibus, a monte *Samba*, ubi oritur *Nymaga*, cum montibus, collibus, pratis, pascuis, sylvis, vallibus, cultis et incultis, ab ortu supradicti fluminis usque ad fluvium *Mezzymbach*, ex utraque parte montium, in integrum atque per totum, consentientibus filiis meis *Hundfrido*. *Luitfrido* et *Hugone*, trado atque transundo *Vualderico* Abbatii, atque fratribus ibi Deo servituris, ut habeant, teneant, atque possideant perpetualiter, sine omni contradictione. Insuper cum consensu filiorum meorum atque rogatu, ut propensiùs et devotius memoria mei meorumque filiorum augeatur in præfato Monasterio, exceptis his, quæ prænominavimus, ex alia mea hæreditate donavi ad ipsum locum, hoc est, in *Mortonavua*, in *Bichinhaym*, et in *Vuitrillimbach* et in *Gamianshurst* in *Alsatia*, et in *Berkheym*, et in *Lymenbusen*, quicquid habere in his locis visus sum. Ad altare verò, ubi desidero meum esse sepulchrum, dedi specialiter in *Columbra* unam Huebam, ut eam habeat Custos ipsius altaris, et procurator ad memoriam mei libentiùs peragendam. Hæc ego donavi de mea parte. Sed et præfati filii mei pro Dei memoria ac Sanctorum eius, quorum memoria et honor ibidem assidue celebratur, ex sua quisque parte, quæ se contingit, propriæ hæreditatis, ad ipsum locum derunt: *Hunfridus* videlicet, qui est maior in illis natu, in *Nordgovue* unam curtim, quæ dicitur *Kuniginshouen*: *Luitfridus*, in *Sundgoue*, in *Suovuamshey*: *Hugo* in *Egeneshaym*. In his prænominatis locis ego ipse *Luitfridus*, & prænominati filii mei, quicquid visi sumus habere ad præsens, ad prædictum Monasterium per totum, singuli quisque nostrum

strum ex se pari voto , consimilique consilio damus atque tradimus , ut Abbas ipsius loci cæterique Monachi firmiter teneant , ac nullo hominum contradicente perpetuò possideant . Decimationes etiam in *Sundhoue* et in *Gundelshaym* , de nostris rebus concedimus eis simili ratione . Ipsi verò Monachi , in ipso loco constituti , potestatem habent eligendi Abbatem inter se , qui eos regulariter possit et dignè regere . Ipsi quoque filii mei , Advocati sint rectissimi ipsius loci , atque tutores et defensores , et hæredes ipsorum : et sub eorum tutela ipsum Menasterium cum omnibus pertinentiis tam cautè et iustè defendatur , quatenus sint reddituri inde rationem . Sed et Abbas , quem ipsi constituerint , potestatem habeat ad procurandum ipsarum rerum et fratum : nihil inde servitii aut census exigatur a filiis meis , vel successoribus eorum , aut ab ulla persona . Per Dominum omnium creatorem obtestor , ut electum Abbatem nullus audeat pro pecunia , aut per aliquam occasionem iniustè deponere , aut constituere alium . Et si aliquis conatus fuerit hoc facere , nisi citò revocatus ab hoc cœpto tam nefario fuerit : tum acceptor pecuniæ , et dator , et quiunque inter eos mediator fuerit , cum magno Simone , qui Spiritus Sancti dona æstimavit emere precio pecuniæ , est præcipitatus Apostolica auctoritate in profundum Tartari : et cum Juda Iscariote , qui Dominum nostrum vendidit pecunia , damnentur æterna damnatione . Et quisquis hæredum meorum sive prohæredum , sive qualiscunque persona in aliquo infringere aut irritare studuerit , quæ cum consensu filiorum meorum devota mente ad servitium Dei contradii , donavi , firmavi , in ultimo Dei magno et horrendo iudicio cogantur reddere rationem , et ab æquissimo iudice damnentur æterno supplicio .

De cætero notum sit omnibus fidelibus tam præsentibus quam absentibus , quod ego *Luitfridus* cum consensu filiorum meorum , et ipsorum fratrum , tunc præsentium ,

commendavi illum sanctum locum *Vualderico* Abbatī omnibus diebus vitæ suæ, ut, quicquid ad illum pertinet superius prænominatorum ex prædictis montibus, vallibus, aquis, aquarumque decursibus, a fonte prius nominato *Nymago* et *Brizznahæ*, qui oritur in monte *Brizzinperg*: iterum atque iterum testificor secundum Apostolum *\*f. iudicaturus* ram Deo et Christo Jesu, qui vindicaturus \* est vivos et mortuos, ac adventum eius, regnumque ipsius, ne quis audeat hæc a nobis tam votivè constituta, in aliquo violare aut destruere. Aut si talis unquam emerferit (quod fore non credimus) qui contemnat futurum Dei iudicium, hæc irritare vel infringere tentaverit, Episcopum, ad cuius diœcesim ipsum Monasterium videtur pertinere, cæterosque, qui tum sanctæ Ecclesiæ regimen habent, obsecramus per misericordiam Dei, quatenus ferventissimo Zelo et districto iudicio resecantur tales conatus sub anathemate.

Hæc acta sunt in ipso Monasterio, præsentibus his testibus, quorum singula subscripta sunt nomina: *Salderici*, *Reginoldi*, *Centenariorum*, *Gozelini*, *Geroldi*, *Alberici*, *Drafemundi*, *Meginboldi*, *Uttonis*, *Luitfridi*, *Humberti*, *Gebhardi*, *Luithardi*, aliorumque multorum, quod longum est narrare.

Signum **V**<sup>I</sup>**E**<sup>R</sup>**I** illustris Comitis, et filiorum eius, *Hunifridi*, *Luitfridi* et *Hugonis*, qui hanc chartam donationis fieri et firmari rogavere. Item signum Monachorum *Gewuerici*, *Hildenimi*, *Diethardi*, *Gozelini*, *Berenhardi*, *Regingeri*, *Erhardi*, *Villegeri* et *Nicasii*. Ego itaque *Villegerus* ex ipso Monasterio in vice cancellarii anno tertio, regnante Ludouico, filio Arnolphi, sub Comite *Vnolvyno*, octavo Calen. Mai. Luna. X. rogatus &c,

## III.

*Reginheri de Vueitahu traditio vel cambium honorum in Vueitaha et Fiscbach circa an. Chr.*

*DCCCCXIV. ex Corpore Traditionum Fuldensium apud Cl.*

*Schannatum pag. 228. et 229.*

**R**eginheri de Vueitahu tradidit sancto Bonifacio Christi Martyri, in elimosinam Ratoltes XX. iugera in campo præfatæ villæ: ibidem etiam XXX. iugera et unam aream dedit, in comparationem equi, quem emerat ad fratrem nostrum Offonem. Idem Reginheri et Meginole, volentes concambium facere cum venerabili Abbe Huogge, ad sanctum tradiderunt Bonifacium, quicquid proprietatis habuerunt in pago *Tullifelde* in Comitatu *Adalbraht* in Vuesthemeno-marcu, in duabus villis nuncupatis *Vueitaka* et *Fiscbah*, in capturis, areis, pomeriis, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, totum et integrum in ius prædicti Christi Martyris transfuderunt, ea scilicet ratione, ut ipsi contra acciperent in capture *Sigimareshuson*, duas areas et duos campos, quicquid iam dictus Sanctus Dei ibidem proprietatis habuit, & capturam *Hilriches*, et sicut *Vrahæ*Vlstram, et sursum ad *Rotumbah*, ubi ipse emanat, et inde per medium oppositi montis usque in *Vlstram*. Iste sunt testes, in quorum præsentia hoc concambium factum est. † *Huggi* Abbas. † *Friderik* presb. et monachus. † *Offo* presb. et monachus. † *Ebermunt* presb. et monachus. † *Hinolgero* Diaconus et monachus. † *Liutbrecht* Diaconus et monachus. † *Ascolf* Subdiaconus et monachus. † *Egilmunt*. † *Egino*. † *Immo*. † *Reginbald*. † *Alhgoz*. † *Vualtbraht*. † *Brun*. *Alhuvvin*. † *Rebhart*. † *Spithraht*. † *Leibolf*. † *Adalolt*. † *Tiotbraht*. † *Meginbald*. † *Ruotuvig*. † *Vuigger*. † *Engilhart* † *Egilolf*. † *Meginger*. † *Rathelm*. † *Otvart*. † *Rudeltang*. † *Otheri*, † *Ratheri*, † *Alaman*, † *Roho*.

*VVernheri Episcopi Strasburgensis instrumentum  
fundationis Monasterii Murensis O. S. Ben. an.  
Chr. MXVII. Ex Dominci Tschudii Abb.  
Murensis Origin. et Genealog. Comitum de  
Habsburg a pag. 36.*

**N**E qua ingeniourum pervicacia, quæ ordinavimus, pervertantur, vel transeuntibus ætatibus oblivioni tradantur, præsenti testamento tam præsentium quām succendentium generationum memoriæ commendamus, qualiter ego *VVernherus Strasburgensis Episcopus, et castri, quod dicitur Habsburgh fundator*, Monasterium in patrimonio meo, in loco, qui *Mure* dicitur, in pago *Argoia*, in Comitatu *Rore*, in honore sanctæ et individuæ Trinitatis, et sanctæ Dei genitricis Mariæ, omniumque Sanctorum construxi, quod titulo beati Martini Episcopi in perpetuum dicavi, cui prædia, quæ hæreditario iure mihi contigerant, per manum germanifratris mei *Lancelini*, qui utpote militiæ cingulo præditus, defensor patrimonii mei extiterat, cum legitima possessione villarum, familiarum, agrorum, sylvarum, pratorum, montium, omniumque appendicium contradidi. Statuimus etiam, ut fratres inibi, sub monachica vita, secundum regulam beati Benedicti degentes, Abbatem sibi libera electione, sive de sua, sive de alia, congregacione præstuant. Quod si in eligendo quandoque, quod Deus abnuat, fratres discordes fuerint, pars sanioris consilii, quem elegerit unanimiter, omnes obtineant, qui non superfluitate, vel morum improbitate, seu tyrannica dominatione dissipare, sed provida ordinatione, et industria sagacitate res Monasterii, ut fidelis dispensator, studeat disponere. Nec cuiquam in beneficium, sed pro legitimo reditu præstare præsumat. Ipse autem Abbas, comunicato fratum consilio, Advocatum de mea posteritate, quæ præfato castro *Habesburgh* dominetur,

tur, qui maior natu fuerit, tali conditione eligat, ut, si quas oppressiones intolerabiles Monasterio intulerit, et inde secundò et tertìo commonitus, incorrigibilis extiterit, eo abiesto, alias de eadem progenie, qui in eodem sit castro *Habsburg*, sine contradictione, subrogetur, hoc adiesto, ut, si masculinus sexus in nostra generatione defecerit, mulier eiusdem generis, quæ eidem castro *Habsburg* hæreditario iure præsideat, Advocatiam a manu Abbatis suscipiat, quam Advocatiam neque ab Rege, neque alia persona, nisi a solo Abbatे cuiquam suscipere liceat. Et si quis aliter ad eam accesserit, ipsâ, quam illicite usurpaverat, omnimodis privetur. Porro nec ipse Abbas eandem Advocatiam ut beneficium, sed ut quandam coindicationem et Monasterii tuitionem cuiquam committat. Sed nec ipse, qui præstitutus fuerit Advocatus, quidquam de rebus Monasterii sive in fundis, sive in mancipiis, sive de ipsa Advocatia cuiquam præstare audeat. Ad ampliorem etiam eiusdem Monasterii honorem et utilitatem, perpetua lege sancimus, ut, si quis de nostris Ministerialibus cuiusque sexus quidquam de rebus suis, sive in agris sive in mancipiis, sanus aut in ægritudine positus, illuc dare voluerit, sine manu, sine respectu domini sui, sine cuiuslibet personæ reclamatione, libera hoc faciat facultate, et quod tradiderit postmodum, nec dominus nec coniux, aut filius aut filia, aut quisquam aliquo modo abalienare præsumat. Minor autem familia eiusdem Monasterii et familia dominorum, qui castro *Habsburg* præsident, eodem iure ac eadem lege, et sua teneant, et pensum servitutis reddant. Si quis demum huic nostræ conscriptioni aliqua temeritate contraire nisus fuerit, eum vinculo anathematis innodatum usque ad condignam satisfactionē Pontificali auctoritate damnamus: sigilli quoque nostri impressione hanc cartam, ut, quod continet, ratum permaneat, signamus. Anno ab incarnatione Domini millesimo vigesimo septimo, indictione decima, regnante Conrado Imperatore Augusto scripta sunt hæc.

FACULTAS REVERENDISSIMI ET  
EXCELLENTISSIMI DOMINI. DO-  
MINI ABBATIS MELLICENSES.

Nos Bertholdus, Dei et Apostolicæ  
Sedis gratiâ Exempti Monasterii  
Mellicensis O. S. Ben. Abbas, hisce  
facultatem impertimur Reverendo P.  
Bernardo Pez, eiusdem Monasterii  
nostrî Professo et Bibliothecario, typis  
evulgandi *Epistolam de Etymo Nominis*  
*Habspurgici*, et vera origine Augustæ  
Gentis *Habspurgico-Austriacæ*, utpote  
in qua a nostris ad id deputatis cens-  
ribus nihil contra fidem aut bonos mo-  
res deprehensum fuit. In quorum fi-  
dem manu propria subscribimus, et  
Sigillo nostro hanc facultatem commu-  
nimus. Atum in Monasterio nostro  
prædicto Anno Domini 1731. 20. Martii


Bertholdus Abbas


Mellicensis. m. p.
















[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)